Summe venerando

Dr. et Prof. M. H. Hohlenberg.

summa cum reverentia

auctor.

an. entry in Cogswell,

DE VI ET EFFECTIBUS, BAPTISMO AB ECCLESIÆ PATRIBUS TRIBUTIS,

COMMENTATIONIS PARTICULA PRIOR,

SENTENTIAS PATRUM, ANTE A. CCLVIII VIVENTIUM, CONTINENS.

QUAM DISSERTATIONEM

PRO GRADU LICENTIATI THEOLOGIÆ RITE IMPETRANDO

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

FREDERICUS NIELSEN,
CAND. S. S. MINISTERII,

RESPONDENTE ORNATISSIMO

JANO CHRIST. SCHURMANN,
CAND. S. S. MINISTERII.

DIE XXmo JANUAR. H. L. Q. S.

HAVNIÆ.
TYPIS EXCUDIT J. D. QUIST.
MDCCCXXXVI.

Hanc dissertationem, diligenti studio conscriptam, dignam censet ordo Theologorum, quæ pro gradu Licentiati Theologiæ rite impetrando publicæ disquisitioni subjiciatur.

Havniæ, d. 16 *Octbr.* 1835.

M. H. Hohlenberg,
p. t. Dec. fac. theol.

Argumentum.

Pag.

Prolegomena.

Salvator noster, quum non amplius personali sua electione homines in ecclesiam suam recipere, et ita eos omnium spiritualium beneficiorum, a semetipso ad hanc redundantium, participes facere posset, hanc eligendi et recipiendi potestatem ipsi ecclesiæ, quam in æternum inhabitaturus et vivificaturus esset sanctus Dei idemque Christi spiritus, traderet necesse erat. Ne vero ecclesia dubia esset de modo, quo hanc potestatem exerceret, apostolis, ecclesiæ primitivæ, pro divina sua, a Patre sibi commissa, potestate præcepit, ut omnes, quos divini verbi prædicatione discipulos sibi adsciscerent, simul solemni baptismi ritu discipulos declararent, in horumque numerum adscriberent; unde sequitur, ut baptismus solemnis sit receptionis in ecclesiam visibilem ritus, Christi auctoritate fundatus, sive actus hujus ecclesiæ, quo jussu et auctoritate Christi nova membra in coetum suum ipsa solemniter recipiat. — Minime autem supra dictis plenam hujus actus definitionem dedimus, solummodo quo nitatur, quidque efficiat,

habita *visibilis* ecclesiæ ratione, diximus. Quamvis autem hocce ad veram baptismi rationem intelligendam gravissimi momenti sit, notionem tamen ipsius actus in verbis: "βαπτίζειν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος", quibus in eo instituendo Christus usus sit, petendam esse, facile est intellectu. — Quin hæcce verba, solemni in aquam immersione, antiquissimo purgationis symbolo, venerando Patris, Filii, Spiritus S. *numini*[1] initiare significent, vix dubitari

---

[1]) Primitivam verbi, quod est "ὄνομα", significationem in hac formula explicanda retinendam esse, contendit Dr. H. E. Bindseil (Erklärung des Redensart: "βαπτίζειν τινὰ εἰς τὸ ὄνομα κ. τ. λ." Theol. Studien und Kritiken, 1832, 2tes Heft p. 410) et formulæ igitur nostræ notionem hanc esse vult: "Jemanden taufen und ihn dadurch hinführen zur Annahme des Namens des Vaters, des Sohnes und des heiligen Geistes; durch die Taufe bewirken, dass Jemand nach dem Namen des Vaters, des Sohnes und heiligen Geistes genannt werde." Quam ut nobis probet explicationem, prius argumentum affert hocce, baptizatum re vera nomen ejus vel personæ vel rei gerere, in cujus ὄνομα initiatus sit; deinde gravissimis documentis demonstrat, formulam baptismi, si ita explicetur, excelsam et sanctissimæ initiationi aptam significationem habere, qua et dependentia baptizati de Patre, Filio, Spiritu S., et altior ejus dignitas ob interiorem cum Patre, Filio, Spiritu S. communionem exprimatur; quippe quum, et secundum communem Orientalium et proprium Hebræorum dicendi usum, novum nomen alicui impertire signum sit *dependentiæ* illius, cui impertiatur, de eo, qui impertiat, simul vero altioris illius *dignitatis* ob interiorem cum impertiente communionem. Quamquam autem notio, quam formulæ baptismi esse subjectam censet, quod ad *summam*

potest; quum vero minime inferiori Christianæ perfectionis gradui, sed ipsi summæ huic perfectioni homines, in ecclesiam intrantes, initiandos

---

rei attinet, verissima videtur; minime tamen exinde apparet, sententiam de primitiva verbi "ὄνομα" significatione retinenda veram esse; eandem enim notionem, etiam si ὄνομα periphrasi personæ inservire dicatur, in formula inesse, inveniemus. Jam igitur ipsum argumentum primarium inspiciendum est. Dicit, baptizatos nomen ejus, in cujus ὄνομα baptizati sint, gerere solere. Certe quidem, sed, ut sententia supra allata eo probaretur, non id solum demonstrandum fuisset, aliquem, *quando* baptizatus esset εἰς τὸ ὄνομά τινος, nomen hujus gerere, sed hoc potius, eum *eo ipso, quod* εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ initiatus esset, nec aliam ob causam hoc nomine appellatum esse; alias enim modo possibilitas rei (ut ita dicam) nec veritas ejus probata esset. Sive autem ad formulas Rabb. טבל לשם vel עבדות, vel בן חורים vel גירות, sub quibus qui baptizati erant גיר—בן חורים—עבד vocabantur, sive ad formulam Christianam et nomina baptizatis indita: υἱοὶ θεοῦ — δοῦλοι χριστοῦ — πνευματικοί — respiciemus; verisimilius erit, hæc nomina, quippe quam ipsam baptizatorum vitæ rationem ad personam vel rem, cui initiati sint, significent, ex ipsa hac vitæ ratione origines suas duxisse, quam ex initiationum formulis. Invicem, ni fallor, formulæ baptismatum et nomina baptizatorum coordinata sunt, utraque autem sub vitæ ratione, cui quis his formulis initiatur, subordinata. Quod tandem ad verba Pauli (1 Cor. 1, 12 sqq.), quæ in dissertatione Bindseilii gravissimi argumenti locum obtinent, et de quibus ita loquitur auctor: "— — aus den Worten geht deutlich hervor, dass sich der Täufling nach dem, auf dessen Namen er getauft war, zu nennen pflegte. Wäre dem nicht so, wie hätte denn Paulus dadurch, dass Einige sich Pauliner nannten, zu der Besorgniss veranlasst werden

esse per se appareat; non solum fidei, Patri, Filio, Spiritui S. habendæ, et obedientiæ iis præstandæ, sed ipsi spirituali cum iis communioni

---

können, dass man daraus schliesen möchte, er habe jene auf seinen eigenen Namen getauft?" — hæc ipsa sententiam meam, nomina ex tota baptizatorum vitæ ratione, neo ex formula baptismi ducta esse, probare videntur. Paulus enim, quum l. l. Corinthiis objecit, quod diversorum magistrorum nominibus gloriarentur, quasi Christus divisus esset, minime, ut eos redargueret, baptismum solum attulit, sed prius, non ipsum esse vel quemlibet alium hominem, qui pro iis cruci fuisset affixus, i. e. qui morte sua salvatoria objectivam salutem iis parasset, deinde, non ipsum esse, in quem baptizati essent, i. e. cui per baptismum initiati, singuli objectivæ illius salutis, omnibus paratæ, participes facti essent. Ut igitur iis ostendat, unde nomen petant, *totam* eorum ad Christum rationem, nec baptismum solum iis ante oculos sistit. Quod autem se hoc lætari, ait, quod paucos modo baptizaverit, ne quis dicat in suum nomen ipsum baptizasse, non ita intelligendum hocce effatum videtur, ut si timuisset, ne quis putaret ipsis his verbis: "εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα" eum baptizasse, quis enim de tali re in facto posita re vera dubius esse posset; modo autem, mea opinione, hæcce ejus verba significant, eum veritum esse, ne quis ei objiceret, quod baptismate eo consilio usus esset, ut arctius sibi, quam reliquis Apostolis baptizatos adstringeret. Denique si "ὄνομα" ex sententia Bindseilii explicandum esset, tam necessaria formulæ pars esset, ut nunquam omitti posset; id quod tamen fieri videmus, quando "βάπτισμα εἰς Χριστὸν" commemoret Paulus. Quæ quum ita sint, nil esse, cur ὄνομα potius sensu primitivo, quam metaphorico adhibitum putaremus, confitendum est, verbum enim שֵׁם et exinde ὄνομα quoque, imprimis quando de Deo vel Christo usur-

baptizandos initiari, hæc verba, ni fallor, testantur. Idem sensus in breviore quoque formula "εἰς τὸ ὄνομα Χριστοῦ" vel "εἰς Χριστὸν βαπτίζειν" inest; quicunque enim spiritualis cum Christo communionis particeps factus sit, et Christum induerit, ob hanc cum filio Dei communionem ipse quoque υἱοθεσίαν acceperit et filius Dei evaserit, idemque, quum spiritualis cum Patre et Filio communio in eo ipso sit posita, quod sanctus Patris idemque Filii spiritus in homine insit, Spiritus quoque Sancti particeps factus sit, necesse est; unde sequitur, ut, quicunque in communionem cum Christo sit inauguratus, intimæ quoque cum Patre et Spiritu S. communioni sit initiatus. Quæ quum ita sint, etiam *invisibili* ecclesiæ baptismo homines initiari apparet, intime enim cum Christo conjunctus, spiritualis ejus corporis membrum sit, Deo Patri addictus, civis regni ejus sit, Spiritus Sancti plenus, omnium hominum, eodem spiritu imbutorum, spiritualis frater sit, *quatenus* scilicet quum ipse tum illi *pura* Spiritus sint habitacula, necesse est. Baptismus igitur solemnis est in communionem cum sanctissima trinitate initiatio, qua initatione ecclesia visibilis hominem initiandum membrum suum declarat, et ita, mea sententia,

---

petur, cum emphasi positum, periphrasi ipsius personæ, adjecta vel præsentis potentiæ vel venerandæ majestatis notione, sæpissime inservire, quis nescit? Jam vero quærendum est, utrum tandem verisimilius sit, homines baptismo in *nomen rei*, an in *rem ipsam*, in spiritualem cum venerando Patris, Filii, Spiritus S. numine communionem, an in nomina eorum accipienda initiari?

hicce ritus definiri potest, ut actus dicatur ecclesiæ visibilis, quo jussu et auctoritate Christi baptizandum *invisibili ecclesiæ initiet, et visibilis membrum faciat.*

Quum vero illa inauguratio, nisi spiritualis communionis, cui initiet, simul participem reddat, necessario imperfecta sit, nec non hæcce receptio, nisi, qui in visibilem ecclesiam ea admittatur, simul invisibilem quoque in ecclesiam introducatur, manca sit, quippe quum in solam visibilem ecclesiam receptus, licet omnia veri membri officia ei imposita, omniaque ejusdem jura, si modo officia servaverit, ei reservata sint, nihilo secius minime verum membrum, sed ejus modo umbra, non ipsius Christi, sed solius Christi nominis confessor sit: tum modo baptismum perfectum esse, quum hominem, illa initiatione in visibilem coetum receptum, invisibilis quoque consortem faciat, manifesto apparet. Solâ vero Spiritus Sancti, quippe qui spirituale Christi corpus inhabitet et vivificet, communicatione hæcce consortio hominibus datur; qui quum spiritus non nisi in *regeneratione* cum iis poenitentiâ, conversione, fide se communicet, *spiritualis regeneratio sola est*, quæ communionis divinæ participes, et eo ipso invisibilis ecclesiæ consortes eos reddat. Unde efficitur, tum modo baptismum perfectum esse æstimandum, quando cum regeneratione — cujus symbolum jure dicitur, quippe quum eidem rei, quam regeneratio re vera comparet, ipse initiet — intime conjunctus sit; alias autem imperfectum manere, usque dum, quæ

ipsius initiatione symbolice adumbrata sint, regeneratione ipsa impleta fuerint.

Quod si visibilis ecclesia ab omni parte sancta et pura invisibilis ecclesiæ[1] forma esset, baptismus

[1]) In notione ecclesiæ invisibilis definienda vestigia Schleiermacheri sequor, qui ita eam constituit: "Die Gesammtheit aller Wirkungen des Geistes in ihrem Zusammenhang" (vide "der chrl. Glaube" vol. II. pag. 482 ed. alt. — cfr. Neander: "Geschichte der Pflanzung der chrl. Kirche" vol. II. pag. 423: "Die Gesammtheit der Würkungen des Christenthums in der Menschheit" —). Quum autem *visibilis* quoque ecclesiæ notioni tam arctas limites constituit, ut, omnes nondum regeneratos, licet baptizatos, ad eam pertinere, neget, solummodo autem regeneratorum coetum hoc nomine ornet, hac in re cum egregio doctore non consentio. Ecclesia enim, ni fallor, denominatio *historica* est, quæ a primis inde temporibus *toti* eorum coetui, qui Patrem, Filium, Spiritum S. coram hominibus confiterentur, et baptismo initiati essent, indita fuit. Hos omnes quidem veros Christi confessores esse oportet; simul autem necesse est, multos eorum nomine solum, sed non re ipsa Christianos esse, quum corda baptizandorum perscrutari, et, utrum re vera regenerati sint necne, dijudicare baptizatores minime possint. Quod igitur Schleiermacher ait, "dass es nach der *ursprünglichen Absicht* Christi eine solche sichtbare Kirche gar nicht geben sollte, *indem nur diejenigen getauft werden sollten*, welche Busse gethan hatten und mit der Taufe zugleich die Vergebung der Sünden und die Mittheilung des Geistes zu empfangen reif waren" (ibid.); hic non abstracta, ut ita dicam, perfecti baptismi idea, sed vera baptismi conditio, prout a Christo instituta est, spectanda videtur, quæ nos docet, Christum minime omnes indignos a baptismo accipiendo prohibere voluisse, utpote

et regeneratio semper intime conjuncta essent. Quum enim regeneratione hujus participes homines fiant, eoque ipso postulare possint, ut tales agnoscantur et formam rei habeant, quum rem ipsam possideant; baptismo vero in illam admittantur, cujus vera modo membra sint, si Spiritu Sancto, quo nitatur, imbuti, i. e. si invisibilis quoque coetus consortes sint: nemo omnino, illa conditione posita, aut extra ecclesiam visibilem esset, jam regeneratus, aut intra fines ejus, nondum regeneratus; perfecta enim ecclesia, perfecta quoque scientia de rebus ad ipsam pertinentibus

---

quod tum modo efficere potuisset, si singulis occasionibus baptizatoribus divinitus revelasset, utrum baptizandi initiatione digni essent, necne. Videmus quoque, Apostolos omnes, qui baptismum appeterent, baptizasse, quorum tamen complures indigni essent; nihilo secius vero omnes baptizatos, nisi magna ob delicta ecclesiæ communione pellerentur, huic annumarasse; nunquam enim, ni fallor, omnibus aliis nondum regeneratis aut officiis membri ecclesiastici liberarunt, aut jura ejusdem denegarunt, licet eos nondum veros Christi confessores esse intelligerent. — Quod vero in ecclesia visibili interior regeneratorum coetus ab exteriore nondum regeneratorum coetu cogitatione separandus sit, per se patet; quos coetus egregius ille vir hisce verbis optime descripsit: "Wir werden sagen müssen, die Gesammtheit derer, welche im Stande der Heiligung leben, sei die innere, die Gesammtheit derer, auf welche von jenen vorbereitende Gnadenwirkungen ausgehen, bilden insofern die äussere Gemeinschaft, bis sie durch die Wiedergeburt Mitglieder des innern werden, und dann eben auch die äussere heranbilden helfen." (ibid. pag. 254.)

necessario prædita, nec quemquam communione sua prohiberet, qui admissionem jure postulare posset, nec quemquam reciperet, qui receptione adhuc indignus esset. Simulac quis igitur regeneratione in ecclesiam invisibilem intraret, visibilis quoque baptismo receptionem confirmaret; qui ergo baptismus, cum regeneratione intime conjunctus eamque obsignans, verum semper esset λουτρὸν παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου. Quum vero ecclesia visibilis his in terris necessario imperfecta sit, eamque ob causam imperfecte quoque agat; efficacitem hujus in hominibus baptizandis cum efficacitate illius in iisdem regenerandis non congruere, necesse est; quo fit, ut quum nonnulli sæpe sint, qui, licet regenerati, nondum tamen baptismo in ecclesiam visibilem recepti sint, tum multi semper, qui, licet baptizati, nondum tamen regeneratione invisibilis ecclesiæ participes facti sint. Id quod, postquam prima in infantia baptizari homines coepti sunt, omnibus fere accidit; minime tamen ea de causa pædobaptismus improbandus est, plane enim ejusdem conditionis, ac baptismus adultorum nondum regeneratorum est, et de utroque sperandum nobis, fore, ut, qui baptismo visibilis ecclesiæ membra facti sint, per Spiritum S., in verbi divini prædicatione, in sacramentorum administratione, in omnibus salutaribus ecclesiæ institutionibus, in tota demum Christianorum vita — quamvis non perfecte et pure, quum instrumenta ejus, homines nimirum regenerati, adhuc imperfecti sint — efficacitatem suam exhibentem,

aliquando tandem spiritualiter renoventur. Licet igitur plerique ita imperfecte baptizentur, baptismus tamen eorum tamdiu modo imperfectus manet, quamdiu adhuc regenerationis expertes sunt; simulac vero novum vitæ principium in iis nascitur, et initiatio igitur baptismi re vera impletur, eo ipso baptismus perfectus fit. Itaque, quando baptismum cum interna regeneratione conjunctum, et baptizatum ergo per Spiritum S. poenitentia et fide imbutum cogitamus, perfecto huic baptismo summa auctoritas jure tribuenda est; quando autem externus ritus per se spectatur, imperfectus, sed nihilominus ratus baptismus judicandus est, quum ad hominis salutem non opus sit, ut iteretur, solummodo autem ut interna regeneratione perficiatur. Accuratissime igitur interna regeneratio, per se cogitata, a symbolo ipsius, deinde perfectus cum hac regeneratione intime conjunctus baptismus a mera externa initiatione distinguendus est.

Quod si patrum doctrinas de baptismo scrutati fuerimus, pios hosce viros, qui veræ poenitentiæ et fidei vim experientia cognoverint, plane necessarias salutis conditiones hæc regenerationis elementa æstimasse videbimus, nec defuisse, qui non solum conditiones, sed etiam efficientes salutis causas ea existimarint; ut, eos verum regenerantem baptismum a baptismo imperfecto plus minusve perfecte distinxisse, appareat. Quum autem ingenii acumine, ad res, in vita ipsorum intime conjunctas, cogitatione accurate distinguendas apto, plerique eorum destituti essent, factum est, ut internas divinas res cum externis earum symbolis

et formis sæpissime confunderent; qua ex confusione multæ pravissimæ sententiæ de natura et vi horum symbolorum formarumque, quibus illi concederent ipsarum rerum divinarum attributa, redundarent necesse erat.[1]

Hæc, singulorum patrum doctrinis explicandis, ostendere conabor; quibus explicatis, summas dictorum brevissime colligam, quo clarius appareat, qua ratione dogma baptismi primis sæculis se evolverit. Priusquam vero ad doctrinas singulorum patrum tractandas transeo, perpauca hæcce observanda sunt.

In scriptis, quæ sub nominibus patrum apostolicorum circumferuntur, haud pauca quidem de baptismo effata inveniuntur; nulla autem omnino in iis, quæ absque dubio genuina judicanda sunt, priorem dico Clementis Romani ad Corinthios epistolam epistolamque Polycarpi, perpauca modo, eaque nullius momenti in epistolis Ignatii, plurima vero in spuriis istis scriptis, quæ "Recognitiones Clementis, Κλημέντια, Constitutiones apostolicæ" inscribuntur; quorum priora, diversæ recensiones unius ejus-

---

1) Cfr. verba clar. Neandri (Kirchengeschichte vol. I pag. 352): "Der Zusammenhang der durch diese äusserlichen Zeichen dargestellten Momente mit dem Ganzen des chrl. Lebens, die Verbindung des Inwendigen und Göttlichen mit der äusserlichen Handlung, war dem lebendigen, chrl. Gefühle der ersten Christen gegenwärtig; aber nachtheilig wurde es hier in praktischer Hinsicht, ... dass man, was in dem Gefühle beisammen war, den Begriffen nach gehörig zu sondern und zu unterscheiden vernachlässigte.

demque ab Ebionita[1], ni fallor, exarati operis, sub finem sæculi secundi scripta videntur, posterius vero medio sæculo tertio collectum, et sensim usque ad finem sæculi quarti auctum. Quod autem ad epistolam, quæ nomine Barnabæ inscribitur, et ad Pastorem Hermæ attinet, impedimento quidem huic disquisitioni est, quod de eorum auctoribus adhuc sub judice lis est; quum vero tam implicita sit, ut minime obiter in disquisitione, quæ rem plane aliam tangat, dijudicari possit, mihi sufficiat necesse est, effata eorum pro antiquissimis afferre, et litem commemoratam dijudicandam doctioribus relinquere. Quod tandem ad reliquos patres attinet, minime quidem me præteriit, quam arcte altera ex parte Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, ex altera Clemens et Origenes invicem cohæreant, nihilo vero secius in horum etiam sententiis exponendis ordinem chronologicum sequar, non solum ut mutua inter æquales reactio clarius appareat, sed etiam ut dissertationem magnâ illâ de baptismo hæreticorum contentione exponenda concludam[2], ultra modo appendicis instar Constitutio-

---

1) Vide Neand. "Ueber die pseudoclementinischen Homilien" in: "Genetische Entwickelung der vornehmsten gnostischen Systeme". Cfr. ejd. Kirchengeschichte vol. I. pag. 409 sqq.

2) Si enim Irenæum cum Tertulliano et Cypriano, Clementem vero cum Origene conjungerem, et his igitur locum post Cyprianum assignarem, quum legibus chronologiæ repugnaret, eos Irenæo præmittere, controversiam illam, quippe quæ a doctrina Cypriani minime sejungi

num doctrinam, quæ eandem controversiam tangit, adjiciens. Cuique vero facile erit, patres arctius cohærentes, interjacentibus omissis, legendo conjungere.

---

possit, antequam Clementis et Origenis doctrinas exponerem, tractare cogerer, licet et orientali et occidentali ecclesiæ communis sit.

Epistola Barnabæ.[1]

Auctor epistolæ, psalmum primum allegoricе interpretans, in eo effatum de vi baptismi invenit; ex verbis enim: "ἔσται — ὁ ταῦτα ποιῶν — ὡς τὸ ξύλον τὸ πεφυτευμένον παρὰ τὰς διεξόδους τῶν ὑδάτων, ὃ τὸν καρπὸν αὐτοῦ δώσει ἐν καιρῷ αὐτοῦ κ. τ. λ.", hunc sensum elicit: "μακάριοι οἳ ἐπὶ τὸν σταυρὸν ἐλπίσαντες κατέβησαν εἰς τὸ ὕδωρ."[2] Postulat igitur, ut fidem habeat baptizandus, qui baptismo salvus fiat; illud enim: "ἐπὶ τὸν σταυρὸν ἐλπίζειν" — h. e. salutiferæ Christi morti confidere, ut pars pro toto plenam et veram Christianam fidem sine dubio indicat; unde sequitur, ut hæcce verba optime cum ipsius salvatoris — Marc. 16, 16 — consentiant. Nec hocce effatum: "βάπτισμα τὸ φέρον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν,"[3] sententiam, a doctrina sacræ scripturæ dissentientem, enunciat; quæ autem verba paulo post sequuntur, ea, magicam hominum repente immutandorum et regenerationis subito in iis efficiendæ vim baptismati auctorem tribuisse, aperte prodere videntur: "ἡμεῖς μὲν", inquit, "καταβαίνομεν εἰς τὸ ὕδωρ γέμοντες ἁμαρτιῶν καὶ ῥύπου, καὶ ἀναβαίνομεν καρποφοροῦντες

---

[1]) Loci laudati ex ed. Clerici — Antverpiæ a. 1700 — excerpti sunt.

[2]) Cap. 9. Ceterum de hacce baptismi denominatione vide Augusti: "Denkwürdigkeiten aus der chrl. Archæologie" vol. VII pag. 13.

[3]) Ibid.

ἐν τῇ καρδίᾳ τὸν φόβον, καὶ τὴν ἐλπίδα εἰς τὸν Ἰησοῦν ἔχοντες ἐν τῷ πνεύματι" — secundum quæ verba spiritualem internam regenerationem cum externo ejus symbolo ita confudisse videtur, ut, quæ illo interno Spiritus Sancti actu efficiantur, hoc externo opere et quidem subito effici dicat; nec contendi potest, eum solummodo perfectam, ideæ suæ plane consentaneum baptismum spectasse; nam de ipso externo opere per se hoc loco verba facit, hominemque depingit, ut si, priusquam hoc opus perfecerit, peccatis plane obrutus, eo autem operato statim immutatus fuerit. Confitendum tamen est aliis locis auctorem internam regenerationem bene descripsisse, et ipsam esse fidem, quæ novam creaturam formet, affirmasse. Ita, "πρὸ τοῦ ἡμᾶς," inquit, "πιστεῦσαι τῷ θεῷ, ἦν ἡμῶν τὸ κατοικητήριον τῆς καρδίας φθαρτὸν καὶ ἀσθενὲς...... λαβόντες τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, καὶ ἐλπίσαντες ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, ἐγενόμεθα καινοί, πάλιν ἐξ ἀρχῆς κτιζόμενοι κ. τ. λ."[1], ubi eadem, quæ antea baptismati vindicavit, fidei tribuit. Quodsi in omnibus effatis suis sibi constitisse auctorem nostrum putas, non alio sane modo hæcce contradictio tollenda videtur, quam statuendo, ex opinone illius fide quidem homines regenerari, sed fidem ipsam, id quod supra laudato loco affirmari quoque videtur, baptismate procreari. Huic tamen explicationi locus primum laudatus obstat, quippe qui, ut baptizandus fidem jam habeat, postulet. Verisimillimum igitur videtur, auctorem

---

[1]) Cap. 16.

altera quidem ex parte internam regenerationem cognovisse, altera autem ex parte baptismati quoque per se magicam et mysticam ad homines regenerandos vim tribuisse, et ita internas spirituales vires cum externo earum symbolo confudisse.

Si re vera quoque hæc epistola Barnabæ, clarissimo Pauli collegæ, tribuenda esset — licet enim ipsa epistola nomen ejus minime gerat, jam Clemens Alexandrinus et Origenes eum auctorem dicunt — non tamen mirandum esset, quod tam magicam de baptismo sententiam proponeret, ex tota enim epistola tum appareret, multo inferiorem, quod ad veram Christianam scientiam attinet, eum fuisse, quam ex splendidis sacræ scripturæ de eo effatis putaremus. Ipsam autem hanc ob causam non dubito, quin verum viderit Neander[1], epistolam spuriam æstimans, quam sententiam Twesten[2] et Ullmann[3] quoque probant.

Hermæ Pastor.[4]

Jam sæculo secundo summa erat auctoritas hujus libri, quippe quem Irenæus nomine "τῆς γραφῆς"[5] ornet, et Clemens Alexandrinus sæpe summa cum reverentia citet; cujus tandem auctorem

---

[1]) Kirchengeschichte vol. 1 pagg. 733-35.
[2]) Vorlesungen über die Dogmatik pag. 105.
[3]) Studien und Kritiken 1828, 1ster Band.
[4]) Loci laudati ex ed. Clerici — Antw. 1700 — desumpti sunt.
[5]) Adv. hæreses lib. 4 cap. 37.

Origenes, cui hicce liber non indignus videtur, qui a Deo inspiratus dicatur, Hermam apostolicum, in epistola ad Romanos commemoratum, appellet[1]. Tertullianus quidem eum acerbissime impugnat; quum vero imprimis ratione dogmatica ductus eum spurium judicet[2], quia nempe adversarii Montanismi effato ejus — eos quoque, qui post baptismum acceptum atrociter peccassent, vera poenitentia salvari posse — ut eo Montanistas refutarent, utebantur, non magni momenti testimonium ejus est. Licet igitur, Hermam apostolicum auctorem libri esse, pro certo affirmare non possimus, ex summa tamen reverentia, qua et Irenaeus et Clemens Alexandrinus librum commemorant, antiquissimum eum esse, et initio saltem saeculi secundi scriptum, apparet. Quam ob causam *quum* testimonium carminis istius contra Marcionem[3],

---

[1]) Expl. in ep. ad Rom. lib. 10 ad cap. 16 vers. 14: "Puto tamen, quod Hermas iste sit scriptor libelli illius, qui Pastor appellatur, quae scriptura valde mihi utilis videtur, et, ut puto, divinitus inspirata."

[2]) In libro de oratione cap. 12 Pastorem commemorat ut librum, haud parva auctoritate praeditum, nec dubitat Hermam auctorem ejus appellare; posteaquam autem ad sectam Montanistarum transgressus est, ut auctoritatem ejus infringat, in libro de pudicitia summa cum acerbitate eum rejicit.

[3]) "Constabat pietate vigens ecclesia Romae,
Composita a Petro, cujus successor et ipse
Jamque loco novo cathedram suscepit Hyginus.
Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater,
Angelicus pastor, quia tradita verba locutus."

Lib. 3 sub finem — ex Rigaltii ed. operum Tertulliani.

quod immerito Tertulliani nomine inscribitur, atque fragmenti illius de N. T. canone, a Muratori editi[1], fratrem nimirum Pii, episcopi Romani a. 156 creati, Hermam sive Hermetem auctorem libri nostri fuisse, *tum* conjectura Gratzii[2] — eum posteriore saeculi secundi parte scriptum esse, ut contra Montanistas vim poenitentiae ad comparandam peccatorum, post baptismum commissorum, remissionem tueretur — rejicienda videtur. Praeterquam enim quod, si tam sero prodiisset, difficillimum esset ad explicandum, quomodo jam Irenaei tempore inter antiquissima Christianorum scripta numerari posset; *contra priorem opinionem* afferendum est, libros, quibus nitatur, justa auctoritate carere[3], et ipsum librum nostrum postea ignotum paene fuisse in ecclesia occidentali[4], id quod mirum sane esset, si a fratre episcopi Romani scriptus fuisset; *contra posteriorem*, fundamentum, quo nitatur, omni ratione carere. Tantum enim abest, ut doctrina de poenitentibus *semel*[5]

¹) Antiquitates Ital. Tom. 3 pag. 853.

²) Disquisitionum in pastorem Hermae particula prior — Bonnae a. 1820 — Progr. Univers.

³) Vid. Neander K. G. vol. I pag. 728.

⁴) Vid. Hieronymi catal. script. ecclesiast. "Hermam asserunt auctorem esse libri, qui appellatur Pastor, et apud quasdam Graeciae ecclesias etiam publice legitur..... sed apud Latinos paene ignotus est."

⁵) "Post vocationem illam magnam et sanctam si quis tentatus fuerit a Diabolo et peccaverit, *unam poenitentiam habet.* Si autem subinde peccet et poenitentiam agat, non proderit homini, talia agenti, difficile enim vivet Deo" Mand. 4 cap. 3.

condonandis et in ecclesiam recipiendis perspicua sit Montanistarum impugnatio, ut eorum esset in ecclesia catholica sententia, qui ad severitatem Montanisticam proxime appropinquarent, quam ob rem Tertullianum quoque ipsum hanc sententiam antea fovisse videbimus[1].

Ecclesiam depingit auctor turris instar, "*super aquas*" ab angelis exædificatæ[2]; singuli lapides, qui *per aquam* ad turrim feruntur, homines, qui baptismo in ecclesiam recipiuntur, fundamentales autem et angulares lapides sancti apostoli sunt, qui ob splendidam ipsorum puritatem *non mutati* structuræ inseruntur, dum reliqui homines tum primum "utiles erunt in structuram, si poenitentiam egerint."[3] Nullus autem omnino lapis idoneus erit, qui adhibeatur, nisi eum adportaverint septem sanctæ mulieres, turris custodes, Fides nimirum, omnium reliquarum mater, Abstinentia, Simplicitas, Innocentia, Modestia, Disciplina, Caritas[4]. Eadem imagine, paululum mutata fusiusque explicata, in nona similitudine utitur. Turrim videmus splendidissima in rupe fundatam, et per sanctam rupis portam — et rupes et porta Christum significat — omnes lapides a sanctis mulieribus, quæ hic duodecim numero sunt, importandi sunt, veste etiam illarum induti; "non aliter enim homo potest in regnum Dei intrare, nisi hæ induerint eum

---

1) Vid. infra.

2) Visio 3, 2 sqq.

3) Ibid. cap. 5 cfr. cap. 7.

4) Ibid. cap. 8.

veste sua. Etenim nihil proderit tibi accipere nomen filii Dei (i. e. baptizari, vide infra cap. 16), nisi etiam et vestem earum acceperis ab eis. Hæ namque virgines potestates sunt filii Dei. Ita frustra nomen portabit quis, nisi etiam potestates ejus portaverit."[1] Antequam igitur confectum fuerit ædificium, Dominus veniet, uti lapides examinet, utrum puri sint, necne. Tum impuri extrudentur, vera tamen poenitentia rursus apti ad structuram fient[2].

His in imaginibus purissima inest doctrina; declarat enim auctor, baptismo quidem in ecclesiam recipi homines, neminem autem, qui recipiatur, dignum esse, aut jam receptum coram Domini judicio constare posse, nisi veste fidei omniumque ceterarum, e vera fide orientium, virtutum indutus sit. Quam ob rem quoque, *fidem* esse, quæ homines salvos reddat, *abstinentiam*, filiam fidei, quæ vitæ æternæ hæredes eos faciat, ait. "Prima autem earum (ɔ: mulierum)," inquit, "fides vocatur, per hanc salvi fiunt electi Dei. Alia vero, quæ succincta est et viriliter agit, abstinentia vocatur, hæc est filia fidei. Quisquis ergo secutus fuerit illam, felix erit in vita sua, quoniam ab omnibus malis abstinebit, credens, quod, si se abstinuerit ab omni concupiscentia, hæres erit vitæ æternæ."[3] Minime igitur noster internam regenerationem et baptismum invicem confudit, imo accurate utrumque distinxit, et baptismum inutilem ad salutem

---

1) Simil. 9 cap. 13.
2) Ibid. cap. 6 sqq.
3) Vis. 3 cap. 8.

declaravit, nisi adsit fides cum fructibus suis. Altera vero ex parte perfectum baptismum optime descripsit, et pulchram paraphrasin horum Pauli verborum: "ἐν ἑνὶ πνεύματι πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν" — proposuit, dum *de credentibus*, "accepto ejus (ɔ: filii Dei)," inquit, "sigillo (ɔ: baptismo, vide infra cap. 16), eandem omnes prudentiam eundemque sensum acceperunt, et una fides atque caritas eorum fuit, et spiritus virginum harum cum ejus nomine ferebant; ideoque structura ejus turris concolor videbatur."[1]

Nihilominus magicam hominum non peccato quidem, sed morte æterna liberandorum vim *aquæ* baptismatis tribuit; id quod non ita quidem intelligendum est, ut si dixisset, aquam sine fide aliquid valere, sed ita, ut contendat, hominem, licet purus et justus sit, necessario tamen morti æternæ obnoxium esse, nisi baptisma acceperit[2]. Si quærimus, quomodo fieri possit, ut baptisma tantam vim habeat, ad formulæ vim et mysticam cum virtute divina aquæ conjunctionem nos delegat. "Vita vestra," inquit, "per aquam salva facta est et fiet. Fundata est enim verbo omnipotentis et honorifici nominis; continetur enim ab invisibili virtute Dei."[3] — Licet igitur altera ex parte verum viderit noster, altera tamen ex parte erravit, hanc ad mortem æternam delendam vim in baptismate per se inesse censens, ideoque illud opus exter-

---

[1]) Simil. 9 cap. 17.

[2]) Ibid. cap. 16.

[3]) Vis. 3. cap. 3.

num ad salutem æternam obtinendam æque necessarium ac spiritualem regenerationem æstimans. Cujus rei causa non nisi in eo quærenda videtur, quod jam inveteratam de summa mystica baptismatis vi opinionem, licet hocce opus per se hominem non *regenerare* intellexerit, prorsus abjicere non potuerit, et in alio igitur ad salutem pertinente effectu hanc vim posuerit.

Quum igitur ita Charybdin devitans in Scyllam inciderit, dogma antea inauditum proponit, ne cogatur, ut, qui *justi Judæi* ante Christi adventum defuncti sint, eos æternæ morti destinatos esse, dicat. Docet, *Apostolos ad inferos descendisse*, ut illis prædicarent, inprimis autem ut eos *baptizarent*. Itaque Hermæ, interroganti: "Quare de profundo hi lapides (ɔ: justi, qui ante adv. Christi obierant) ascenderunt, et positi sunt in structuram turris hujus, quum jam pridem portaverint spiritus justos?" — angelum respondentem inducit auctor: "Necesse est, ut per aquam habeant ascendere, ut requiescant. Non poterant enim aliter in regnum Dei venire, quam ut deponerent mortalitatem prioris vitæ. Illi igitur defuncti sigillo filii Dei signati sunt, et intraverunt in regnum Dei. *Antequam enim accipiat homo nomen filii Dei, morti destinatus est, at ubi accipit istud sigillum, liberatur a morte et traditur vitæ; illud autem sigillum*[1] *aqua est*, in quam descendunt homines morti obligati, ascendunt vero vitæ assignati. ....,

---

[1]) De hacce baptismi denominatione vid. Augusti Denkw. aus d. chrl. Arch. vol. VII pagg. 14-18.

Hi apostoli et doctores, qui prædicaverunt nomen filii Dei, cum, habentes fidem ejus et potestatem, defuncti essent, prædicaverunt his, qui ante obierunt. καὶ αὐτοὶ ἔδωκαν αὐτοῖς τὴν σφραγῖδα τοῦ κηρύγματος· κατέβησαν οὖν μετ' αὐτῶν εἰς τὸ ὕδωρ, καὶ πάλιν ἀνέβησαν· ἀλλ' οὗτοι ζῶντες κατέβησαν, καὶ πάλιν ζῶντες ἀνέβησαν· ἐκεῖνοι δὲ οἱ προκεκοιμημένοι νεκροὶ κατέβησαν, ζῶντες δὲ ἀνέβησαν· διὰ τούτων οὖν ἐζωοποιήθησαν καὶ ἐπέγνωσαν τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ θεοῦ· διὰ τοῦτο καὶ συνανέβησαν μετ' αὐτῶν καὶ συνήρμοσαν εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου, καὶ ἀλατόμητοι συνῳκοδομήθησαν. ἐν δικαιοσύνῃ ἐκοιμήθησαν καὶ ἐν μεγάλῃ ἁγνείᾳ· μόνον δὲ τὴν σφραγῖδα ταύτην οὐκ ἔσχον."[1]

---

[1]) Simil. 9 cap. 16. Græci textus fragmentum apud Clementem Alex. in Strom. 2 pag. 379 invenitur, et a me adhibitum est, quia in antiqua versione aliquid deest.

Quod ad epistolas, quæ nomine *Ignatii* inscribuntur, attinet, in breviore earum recensione, quæ multis authentica licet valde interpolata videtur, perpauca modo hæc de baptismo effata inveni, quæ, quum exigui momenti sint, in textum recipere nolui:

"Ὃς (α: ὁ Χριστὸς) ἐγεννήθη καὶ ἐβαπτίσθη, ἵνα τῷ πάθει τὸ ὕδωρ καθαρίσῃ (Ep. ad Eph. c. 18), quibus pro verbis amplior recensio hæc habet: οὗτος ἐγεννήθη καὶ ἐβαπτίσθη, ἵνα πιστοποιήσηται τὴν διάταξιν, τὴν ἐγχειρισθεῖσαν τῷ προφήτῃ." — "…. βεβαπτισμένον (α: τὸν Χριστὸν), ἵνα πληρωθῇ πᾶσα δικαιοσύνη ὑπ' αὐτοῦ" — (Ep. ad Smyrn. c. 1) — "οὐκ ἐξὸν ἐστὶν χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε ἀγάπην ποιεῖν· ἀλλ' ὃ ἂν ἐκεῖνος δοκιμάσῃ, τοῦτο καὶ τῷ θεῷ εὐάρεστον" (Ibid. c. 8). — Quorum effatorum tertium serioris temporis esse apparet, quum jam hierarchia Judaïca in ecclesiam Christianam introducta esset. Quod ad

Justinus Martyr[1].

Priore in apologia gravissimus de baptismo locus invenitur, quem totum afferam, ut ex eo doctrinam Justini explicem, quam deinde ceteris locis, imprimis ex dialogo cum Tryphone Judæo, cujus libri authentia non infirmis rationibus nititur[2], excerptis, confirmabo. "Ὃν τρόπον δὲ καὶ ἀνεθήκαμεν," inquit, "ἑαυτοὺς τῷ θεῷ, καινοποιηθέντες διὰ τοῦ Χριστοῦ, ἐξηγησόμεθα........ ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς· ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν, ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως, ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν, ἀναγεννῶνται. ἐπ' ὀνόματος γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ

---

primum attinet, hocce, utpote quod cum superstitiosis serioris temporis de relatione baptismi ipsius Christi ad baptismi aquam in universum sententiis bene consentiat, valde autem a simplici veritate, in laudato amplioris recensionis loco proposita, discrepet, hypothesin, quam proposuit Schmidt ("Ueber die gedoppelte Recension der Briefe des Ignatius" in "Henkes Magazin, 3ter Band") confirmare videtur, quod nimirum genuina lectio in ampliore recensione sæpe servata sit, in breviore autem interpolata.

1) Loci laudati, quibus non additum est, unde excerpti sint, ex ed. Styani Thirlbii — Londini 1722 — desumpti sunt.

2) Vid. Neand. K. G. vol. I pag. 749 sqq.

πνεύματος ἁγίου τὸ ἐν τῷ ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦνται· καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς εἶπεν: Ἂν μὴ ἀναγεννηθῆτε, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· ὅτι δὲ καὶ ἀδύνατον εἰς τὰς μήτρας τῶν τηκουσῶν τοὺς ἅπαξ γεννωμένους ἐμβῆναι, φανερὸν πᾶσίν ἐστι· καὶ διὰ Ἠσαΐου τοῦ προφήτου... εἴρηται, τίνα τρόπον φεύξονται τὰς ἁμαρτίας οἱ ἁμαρτήσαντες καὶ μετανοοῦντες· ἐλέχθη δὲ οὕτως: Λούσασθε, καθαροὶ γίνεσθε κ. τ. λ. — **Jes. 1, 16-20.** ....καὶ λόγον δὲ εἰς τοῦτο παρὰ τῶν ἀποστόλων ἐμάθομεν τοῦτον· ἐπειδὴ τὴν πρώτην γένεσιν ἡμῶν ἀγνοοῦντες κατ' ἀνάγκην γεγεννήμεθα ἐξ ὑγρᾶς σπορᾶς κατὰ μίξιν τὴν τῶν γονέων πρὸς ἀλλήλους, καὶ ἐν ἔθεσι φαύλοις καὶ πονηραῖς ἀνατροφαῖς γεγόναμεν· ὅπως μὴ ἀνάγκης τέκνα μηδὲ ἀγνοίας μένωμεν, ἀλλὰ προαιρέσεως καὶ ἐπιστήμης, ἀφέσεώς τε ἁμαρτιῶν ὑπὲρ ὧν προημάρτομεν τύχωμεν ἐν τῷ ὕδατι, ἐπονομάζεται τῷ ἑλομένῳ ἀναγεννηθῆναι καὶ μετανοήσαντι ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις τὸ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ ὄνομα· αὐτὸ τοῦτο μόνον ἐπιλέγοντες, τοῦτον λουσόμενον ἄγοντες ἐπὶ τὸ λουτρόν. ὄνομα γὰρ τῷ ἀῤῥήτῳ θεῷ οὐδεὶς ἔχει εἰπεῖν· εἰ δέ τις τολμήσειεν εἶναι λέγειν, μέμηνε τήν ἄσωτον μανίαν. καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμός, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων. ἐπ' ὀνόματος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ ἐπ' ὀνόματος πνεύματος ἁγίου, ὃ διὰ τῶν προφητῶν προεκήρυξε τὰ κατὰ τὸν Ἰησοῦν πάντα, ὁ φωτιζόμενος λούεται."[1]

---

[1]) **Pagg. 88-91.**

Justinum ergo veram novam generationem baptismum spectasse, non solum ex eo, quod nomine regenerationis eum ornavit, illaque Christi verba de eo interpretatus est, sed ex memorabili quoque ejus comparatione cum physica generatione manifesto apparet. Longe perfectiorem ac beatiorem hominis statum, ut vidimus, hujus baptismi sequelam posuit, solummodo vero sub ea conditione, ut rectâ veritatis religionis Christianæ intelligentiâ et spontaneo præceptorum ejus observandorum proposito ad baptismum subeundum homo ductus sit, eoque ipso una cum hac intelligentia ac proposito poenitentiam conceperit, ut conversus ad Deum veterem vitiosam vitam asperuetur. Hac conditione posita, hominem baptizatum τέκνον τῆς προαιρέσεως καὶ ἐπιστήμης appellat, quod sciens volensque iterum in baptismo generatus sit, quum antea fuisset τέκνον τῆς ἀνάγκης καὶ ἀγνοίας, quod in physica generatione ἀγνοῶν καὶ κατ' ἀνάγκην conceptus esset. Quibus ex omnibus sequitur, ut, quando de regenerante baptismo locutus fuerit, de solo *perfecto* baptismo cogitaverit, quum hominem, eo regeneratum, vera poenitentia et fide ductum ad eum accipiendum accessisse statuerit, et minime docuerit, externum baptisma ex opere operato hominem vitiosum convertere ac beatum reddere. Quocum optime consentit, quod aliis locis nil omnino ritus et cæremonias *ex opere operato* ad salutem conferre, sed veram modo pietatem esse, quæ homines salvos reddat, palam declaravit. Cujus rei ut exemplum afferam, de crebris Judæorum lavationibus ita loquitur: "τί ὄφελος ἐκείνου τοῦ βαπτίσμα-

τος, ὃ τὴν σάρκα καὶ μόνον τὸ σῶμα φαιδρύνει; βαπτίσθητε τὴν ψυχὴν ἀπὸ ὀργῆς καὶ ἀπὸ πλεονεξίας, ἀπὸ φθόνου, ἀπὸ μίσους, καὶ ἰδοὺ τὸ σῶμα καθαρόν ἐστι. ὑμεῖς δὲ πάντα σαρκικῶς νενοήκατε, καὶ ἡγεῖσθε εὐσέβειαν, ἐὰν τοιαῦτα ποιοῦντες τὰς ψυχὰς μεμεστωμένοι ἦτε δόλου καὶ πάσης κακίας ἁπλῶς."[1] Perfectum hunc baptismum splendidissimis nominibus ornat, λουτρὸν τῆς γνώσεως et φωτισμόν eum appellat, habita autem præcedentis institutionis ratione[2], et ita baptizatum τῷ πνεύματι ἁγίῳ baptizatum esse, jure contendit[3]. — Ne quis igitur inconstantiæ Justinum accuset, quod aliis locis perfectum hunc, cum spirituali regeneratione conjunctum baptismum unicum omnis perfectionis et felicitatis fontem appellet, aliis vero eum a subjectivis conditionibus, sine quibus per-

---

[1]) Dial. cum Tryphone pag. 160.

[2]) "καλεῖται τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμός, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων" Cfr. verba cel. Augusti: "Eine gar gewöhnliche tropische Benennung der Taufe ist die Erleuchtung (φωτισμός, φώτισμα, zuweilen τὸ φῶς, illuminatio, sacramentum illuminationis, illustrationis, lux mentis, oculorum etc.). Der Grund davon ist theils ein innerer, weil wir, wie Clemens Alex. Pædag. lib. 1 cap. 6 sich ausdrückt, durch diese h. Handlung "das heilige und beglückende Licht, wodurch wir das Göttliche erschauen, empfangen"; theils ein äusserer, weil man voraussetzte, dass jeder zur Taufe zugelassene Schüler (Tauf-Candidat, Catechumen) hinlänglich unterrichtet und über die Wahrheiten des Christenthums gehörig aufgeklärt sey." Denkw. vol. VII pag. 18.

[3]) Dial. cum Tryph. pag. 127. ed. Congr. St. Mauri. Hagæ Comitum a. 1742.

fectus esse minime possit, cogitatione discernat, et tum, ut media salutis proponat, non baptismum solum, sed veram quoque Christi cognitionem et vitam sanctam afferat; ille enim, ut perfectus judicetur, istâ nitatur et hancce procreet necesse est, id quod Justinus bene intellexit. Optime igitur, ut exempla afferam, huncce locum: "διὰ τοῦ λουτροῦ οὖν τῆς μετανοίας καὶ γνώσεως[1] τοῦ θεοῦ, ὃ ὑπὲρ τῆς ἀνομίας τῶν λαῶν τοῦ θεοῦ γέγονεν ... ἡμεῖς ἐπιστεύσαμεν· καὶ γνωρίζομεν, ὅτι τοῦτ' ἐκεῖνο, ὃ προηγόρευε (ɔ: Ἡσαΐας) τὸ βάπτισμα, τὸ μόνον καθαρίσαι μετανοήσαντας δυνάμενον, τοῦτό ἐστι τὸ ὕδωρ τῆς ζωῆς"[2] — cum hocce: "σπουδάσαι δεῖ ἐπιγνῶναι, δι' ἧς ὁδοῦ ἄφεσις ὑμῖν τῶν ἁμαρτιῶν γενήσεται, καὶ ἐλπὶς τῆς κληρονομίας τῶν κατηγγελμένων ἀγαθῶν. ἔστι δὲ οὐκ ἄλλη, ἢ αὕτη, ἵνα τοῦτον τὸν Χριστὸν ἐπιγνόντες καὶ λουσάμενοι τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν διὰ Ἡσαΐου κήρυχθεν λουτρὸν, ἀναμαρτήτως λοιπὸν ζήσητε"[3] — consentire, quisque facile videt. Ut denique totam salutis nostræ rationem indicet Justinus, prius ipsam objectivam redemptionem, quam morte Christi, parte pro toto, significat, deinde baptismum, quo aditus ad hanc

---

1) Tenendum est, ut supra jam notavi, "φωτισμὸν" sive, quod idem est, "λουτρὸν τῆς γνώσεως" baptismum a Justino non appellari, nisi præcedentis institutionis ratione habita, unde concludere licet, nec nomen "τοῦ λουτροῦ τῆς μετανοίας" eo sensu baptismo inditum esse, quasi poenitentia magicâ baptismi vi procrearetur, id quod ex verbo quoque "μετανοήσαντας" apparet.

2) Dial. cum Tryph, pag. 163.

3) Ibid. pag. 226.

redemptionem singulis offertur, nominat. "ἡμᾶς βεβαπτισμένους," inquit, "ταῖς βαρυτάταις ἁμαρτίαις, ἃς ἐπράξαμεν, διὰ τοῦ σταυρωθῆναι ἐπὶ τοῦ ξύλου, καὶ δὶ ὕδατος ἁγνίσαι, ὁ Χριστὸς ἡμῶν ἐλυτρώσατο, καὶ οἶκον εὐχῆς καὶ προσκυνήσεως ἐποίησε."[1] His autem duobus tertia adjungitur *fides*, qua demum redemptionis, ita comparatæ et oblatæ, participes homines fiunt. "Ὁ γὰρ Χριστὸς," inquit, "προτότοκος πάσης κτίσεως ὢν, ἀρχὴ πάλιν ἄλλου γένους γέγονεν, τοῦ ἀναγεννηθέντος ὑπ' αὐτοῦ δι' ὕδατος καὶ πίστεως καὶ ξύλου, τοῦ τὸ μυστήριον τοῦ σταυροῦ ἔχοντος..... εἶπον δὲ δι' ὕδατος καὶ πίστεως καὶ ξύλου οἱ προπαρασκευαζόμενοι καὶ μετανοοῦντες ἐφ' οἷς ἥμαρτον, ἐκφεύξονται τὴν μέλλουσαν ἐπέρχεσθαι τοῦ θεοῦ κρίσιν."[2]

Integram baptismatis formulam, a Christo propositam, esse adhibendam, Justinus sæpius declarat[3], non tamen, mea opinione, ex verbis ejus elici potest, magicam vim huic formulæ eum tribuisse; quod enim l. l. dicit: "ὅπως μὴ ἀνάγκης τέκνα μηδὲ ἀγνοίας μένωμεν.... ἐπονομάζεται τῷ ἑλομένῳ ἀναγεννηθῆναι... τὸ τοῦ θεοῦ ὄνομα κ. τ. λ." — hæc verba, ni fallor, mysticum inter enunciationem formulæ et effectus perfecti baptismi nexum minime indicant, solummodo autem emphaticæ baptismatis periphrasi inserviunt, et simul, ipsam esse divini verbi enunciationem, qua religiosa hujus lavacri idea significetur, nobis ante

---

1) Dial. cum Tryph. pag. 323.
2) Ibid. pagg. 430-31.
3) Apol. I pagg. 88-91, vide supra.

oculos sistunt. Alius vero falsæ ejusque, ut infra videbimus, pervulgatæ opinionis, quod nimirum gratiâ baptismi ea solummodo peccata, quæ ante baptismum commissa fuerint, condonentur, accusandus videtur; licet enim perfectum regenerationis lavacrum vitæ ab omni parte novæ initium æstimet, et *purgationem* igitur eo procreatam ad universam hominis vitiositatem pertinere intelligat; idem tamen de remissione minime statuisse, potius autem eam angustissimis istis limitibus circumscripsisse videtur[1].

Inprimis igitur in doctrina Justini nostri id reprehendendum est, quod puram regenerationis ideam per se non percepit, nec nisi baptismo solo hominem spiritualiter renovari posse putavit; unde sequitur, ut omnibus quoque absolute necessarium baptismum duxerit. Alias multas falsas opiniones, plerisque patribus communes, feliciter evitavit. Attamen confitendum quoque est, nondum omnes illas implicationes, quibus postea magis magisque ad magicas superstitiones patres ducerentur, procreatas fuisse, id quod imprimis de baptismo infantium valet, qui nondum in usu fuisse videtur. Apparet saltem ex locis laudatis, Justinum non nisi de adultis cogitasse, quæ enim oppositæ sententiæ argumenta afferuntur, nullius omnino momenti sunt. Quod enim verba: "οἱ ἐκ παίδων ἐμαθητεύθησαν τῷ Χριστῷ"[2] — attinet, æque bene

---

[1]) Ibid. "αἰτεῖν τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν — ἀφέσεως ἁμαρτιῶν ὑπὲρ ὧν προημάρτομεν τύχωμεν."

[2]) Apol. I pag. 52 ed. Congr. St. M. Cfr. Matthies:

de catechumenis, ac de baptizatis verbum: "μαθητεύεσθαι" adhiberi potuit; quod vero ad denominationem: "περιτομὴ ἀληθίνη" sive "πνευματική" attinet, quam Justinus baptismo sæpius tribuit[1], superfluum sane erit demonstrare, in haece baptismum inter et circumcisionem comparatione, quæ cum Judæo colloquenti ultro se offerret, nil omnino inesse, unde pædobaptismum tunc temporis in usu fuisse verisimile fiat, nedum manifesto appareat.

Ut denique omnia, quæ ad dogma baptismi pertinere videantur, afferam, notandum quoque est, baptismo ipsius salvatoris nullam novam vim ei *extrinsecus* inditam fuisse, miraculosam autem apparitionem eo solummodo spectasse, ut divina Jesu dignitas hominibus revelaretur, Justinum bene intellexisse: "οὐκ ὡς ἐνδεᾶ," inquit, "αὐτὸν τοῦ βαπτισθῆναι, ἢ τοῦ ἐπελθόντος ἐν εἴδει περιστερᾶς πνεύματος, οἴδαμεν αὐτὸν ἐληλυθέναι ἐπὶ τὸν ποταμόν· ὥσπερ οὐδὲ τὸ γεννηθῆναι αὐτὸν, ὡς ἐνδεὴς τούτων ὑπέμεινεν, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων"[2] — nec inepto exemplo hanc sententiam illustrat: "καὶ γὰρ οὐδὲ τὸ καθεσθέντα αὐτὸν ὄνῳ εἰσελθεῖν εἰς Ἱεροσόλυμα ... δύναμιν αὐτῷ ἐνεποίει εἰς τὸ Χριστὸν εἶναι, ἀλλὰ τοῖς ἀνθρώποις γνώρισμα ἔφερεν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ Χριστός· ὅνπερ τρόπον καὶ

Expositio baptismatis biblica, historica, dogmatica. Berolin. 1831. pag. 187 sqq.

[1]) Dial. cum Tryph. pagg. 118 et 139. ed. Congr. St. M.

[2]) Ibid. pag. 185 ejd. ed.

ἐπὶ τοῦ Ἰωάννου ἔδει γνώρισμα τοῖς ἀνθρώποις εἶναι, ὅπως ἐπιγνῶσι, τίς ἐστιν ὁ Χριστός."[1]

Theophilus Antiochenus[2].

Unum modo de baptismo effatum apud hunc scriptorem inveni, et difficile erit ex eo, quænam fuerit ejus de baptismo doctrina, pro certo concludere. "ἔτι μὲν καὶ εὐλογήθη," inquit, "ὑπὸ τοῦ θεοῦ τὰ ἐκ τῶν ὑδάτων γενόμενα (ɔ: pisces, quinto die creati), ὅπως ᾖ καὶ τοῦτο εἰς δεῖγμα τοῦ μέλλειν λαμβάνειν τοὺς ἀνθρώπους μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν διὰ ὕδατος καὶ λουτροῦ παλιγγενεσίας, πάντας τοὺς προσίοντας τῇ ἀληθείᾳ καὶ ἀναγεννωμένους καὶ λάμβάνοντας εὐλογίαν παρὰ τοῦ θεοῦ."[3] Quodsi verbis: "προσεῖναι τῇ ἀληθείᾳ — ἀναγεννᾶσθαι — λαμβάνειν εὐλογίαν παρὰ τοῦ θεοῦ" — solummodo receptionem in ecclesiam visibilem et baptismum indicare voluerit, non solum cumulatissimæ tautologiæ, sed doctrinæ etiam ab omni parte pravæ et superstitiosæ accusetur; tum enim, omnes, quicunque baptizentur, *eo ipso* conversionem et peccatorum remissionem consequi, idque mystica ipsius aquæ vi, docuisse videtur. Sin autem illis supra laudatis verbis conditiones necessarias, sine quibus conversionem et remissionem in baptismo minime accipiat homo baptizatus, in-

---

[1]) Dial. cum Tryph. pag. 185 cjd. ed.

[2]) Loci l. ex ed. Congr. St. Mauri — Hagæ Comitum 1742 — desumpti sunt.

[3]) Ad Autolychum lib. 2 cap. 16 pag. 361.

dicare voluerit, et sensus ergo loci laudati hic fere sit, baptismum quidem lavacrum esse regenerationis et fontem universæ salutis, solummodo vero iis, qui, studio veritatis ducti, una cum externo lavacro internum quoque cordis baptismum Dei gratiâ accipiant: auctor magnopere laudetur, quippe quum regenerationem, per se cogitatam, a symbolo ejus, et perfectum cum regeneratione conjunctum baptismum ab imperfecto optime distinxerit. Quod vero conversionem et peccatorum remissionem, spiritualis regenerationis elementa, perfecto baptismo hominem consequi dixit; ne quis, illa distinctione posita, hac in re eum reprehendat. Quum enim idea perfecti baptismi regenerationem quoque comprehendat, et externo suo sigillo quasi perficiat, omnes illius partes hoc contineri et perfici, dicere licebit. Quodsi aliis locis Theophilum, fidem esse et metum Dei et sanctam justamque vitam, quæ homines salvos reddant, affirmasse invenerimus, minime, ni fallor, necesse erit, ut supra de auctore epistolæ, quæ nomine Barnabæ inscribitur, statuere, parum sibi nostrum constitisse. Quum enim verba Theophili supra laudata ambigui sensus sint, nec ut illa Barnabæ sive Pseudobarnabæ ab omni parte clara et perspicua, verba ejus minus perspicua ex distincte expressis illustrare licebit, et statuere, doctrinam ejus de baptismo non magicam esse. Ut appareat, Theophilum re vera sanam illam doctrinam proposuisse, hæcce ejus verba afferam: "εἰ ταῦτα (ɔ: Deum sapientem omnium rerum creatorem esse) νοεῖς ἄνθρωπε, ἁγνῶς καὶ ὁσίως καὶ δικαίως ζῶν,

δύνασαι ὁρᾷν τὸν θεόν. πρὸ παντὸς δὲ προηγείσθω σου ἐν τῇ καρδίᾳ πίστις καὶ φόβος ὁ τοῦ θεοῦ, καὶ τότε συνήσεις ταῦτα. ὅταν ἀποθῇ τὸ θνητὸν καὶ ἐνδύσῃ τὴν ἀφθαρσίαν, τότε ὄψει κατ' ἀξίαν τὸν θεόν· ἀνεγείρει γάρ σου τὴν σάρκα ἀθάνατον σὺν τῇ ψυχῇ ὁ θεὸς, καὶ τότε ὄψει γινόμενος ἀθάνατος τὸν ἀθάνατον, ἐὰν νῦν πιστεύσῃς αὐτῷ"[1] — quod effatum perbene cum doctrina de salutari *perfecti* baptismi vi consentit, plane autem a doctrina de magica externi baptismi ex opere operato vi dissentit.

Recognitiones Clementis.[2]

Ad describendas patrum antiquissimorum de baptismo doctrinas sensu strictiore hoc opus quidem non pertinet, quum, ut supra jam dixi, toto ex opere appareat, non patrem ecclesiæ, sed Ebionitam quendam auctorem ejus esse. Attamen non prætermittendum duxi, quum complures magicæ ideæ, quas seriore demum tempore apud patres reperimus, in hocce opere jam coacervatæ inveniantur. Quo autem modo hocce fieri potuerit, utrum eo, quod interpolationibus serius corruptus sit liber, an eo potius, quod magicas illas ideas, antequam a patribus reciperentur, jam amplexati fuerint minus eruditi, dubitari potest. Magnæ certe auctoritatis liber noster fuisse videtur, nam tres ejus recensiones exstant: Recogni-

---

[1]) Ad Autol. lib. 1 cap. 7 pag. 342.

[2]) Loci laud. ex ed. Clerici — Antv. a. 1700 — excerpti sunt.

tiones nostræ, Clementinæ homiliæ[1], Acta Petri, quarum recensionum ultima brevis reliquarum epitome est. Ne vero in re minoris momenti lectores diutius morer, non omnium recensionum sed solarum "Recognitionum" effata de baptismo proponam, ita tamen, ut graviores homiliarum locos annotem.

Comparationem baptismum inter et sacrificia Judæorum, quam plerisque patrum antiquissimorum semper præsto fuisse putares, quum rationem baptismi ad remissionem peccatorum imprimis urgerent, quam autem in scriptis eorum nusquam, ni fallor, reperies, auctor Recognitionum sæpius proponit, et sacrificia baptismo, quæ unica jam vera via ad obtinendam peccatorum remissionem sit, abrogata esse contendit. "Ne forte," inquit, "putarent (ɔ: Judæi), cessantibus hostiis remissionem sibi non fieri peccatorum, baptisma iis per aquam statuit (ɔ: Christus), in quo ab omnibus peccatis, invocato ejus nomine, solverentur, et, de reliquo perfectam vitam sequentes, in immortalitate durarent, non pecudum sanguine, sed sapientiæ Dei purificatione purgati."[2] Quibus ex verbis jam suspicari licebit, auctorem externo quidem

---

[1]) De hisce duabus recensionibus absque dubio verba fecit Rufinus, quum in præfatione versionis, "puto," inquit, "quod non te lateat, Clementis hujus in Græco ejusdem operis ἀναγνώσεων h. e. Recognitionum duas editiones haberi, et duo corpora esse librorum in aliquantis quidem diversa, in multis tamen ejusdem narrationis." pag. 485.

[2]) Lib. I cap. 39. cfr. capp. 48. 54. 55.

baptismo magicas regenerandi vires adscripsisse, attamen, ut hujus regenerationis salutares effectus servarentur, *post baptismum*[1] justam sanctamque vitam, eoque ipso fidem[2] quoque, hujus vitæ radicem, necessarias conditiones æstimasse; quæ opinio ceteris locis plane confirmabitur. Cum physica enim generatione baptismum comparat, omnesque et negativas et positivas regenerationis vires ei tribuit; simul autem, æternam salutem hac regeneratione tum modo comparari, quum post baptismum a peccatis se plane abstinuerit baptizatus, affirmat. "Prima enim nostra nativitas," inquit, "per ignem concupiscentiæ descendit, et ideo dis-

---

[1]) In hom. 7 cap. 8 autem verior doctrina inesse videtur, quum ibi, licet regeneratio cum baptismo confundatur, fidei tamen primarius suus locus servetur; ita enim vera θρησκεία definitur: "τὸ μόνον αὐτὸν (ɔ: Θεὸν) σέβειν, καὶ τῷ τῆς ἀληθείας μόνῳ πιστεύειν προφήτῃ, καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν βαπτισθῆναι, καὶ οὕτως διὰ τῆς ἁγνοτάτης βαφῆς ἀναγεννηθῆναι Θεῷ διὰ τοῦ σώζοντος ὕδατος κ. τ. λ."

[2]) Notandum vero est, auctorem sanctæ vitæ radices, poenitentiam et fidem, ita depinxisse, ut a vera fidei et vitæ Christianæ idea haud parum abfuisse, et poenarum imprimis timore ad justam vitam degendam homines adducere voluisse videatur. Hortatur enim eos, ut "de reliquo *futuri judicii metu* concupiscentias refrenent — quodsi" — addit — "credentes Deo et *futurum judicium poenamque ignis æterni confitentes*, non se continent a peccato, certum est, quod non plena fide credunt, si enim certa sit fides, certus fit et timor ..... Si cito conversi fuerint ad poenitentiam et *futuræ poenæ recordationem conceperint ac metum*, conversis ad Deum per gratiam baptismi resolvitur poena mortis." Lib. 9 capp. 11 & 12.

pensatione divinâ secunda hæc per aquam introducitur, quæ restinguat ignis naturam, et, cælesti spiritu anima illuminata, metum primæ nativitatis abjiciat; si tamen ita de reliquo vivat, ut nullas omnino mundi hujus voluptates requirat, sed sit tamquam peregrinus et advena et alterius civitatis civis."[1] Qua quidem affirmatione horribiles pravissimæ illius confusionis consequentias aliquantum repressit; simul vero intimam regenerationis cum continua sanctificatione conjunctionem se haud recte intellexisse ostendit; quam quum non comprehenderit, pro humili fiducia, in gratiam Dei regenerantem eandemque continuo sanctificantem collocanda, detestabilem operum suorum fiduciam aperte commendavit, quum post baptismum homines in eo esse, ut bonis operibus salutem sibi *mereantur*, contenderit. "Si quis vestrum desiderat," inquit, "baptizetur, ut exutus prioribus malis de

1) Ibid. cap. 7, cfr. capp. 10-11: "Omnis causa peccati similis videtur esse stippæ, pice oblitæ, quæ, ubi calorem ignis acceperit, statim inflammatur. Hujus vero ignis incendium opera esse dæmonum intelliguntur. Si ergo inveniatur quis, peccatis et concupiscentiis tamquam pice oblitus, ignis ei facillime dominatur; si vero non peccati pice sed aqua purificationis et regenerationis infusa sit stippa, ignis in ea dæmonum non valebit accendi. Sed dicet aliquis: Et quid faciemus nos, quos contigit peccatis sicut pice oblitos esse. Respondebo: Nihil aliud, nisi ut festinetis ablui, quo expurgetur a vobis ignis materia per invocationem sancti nominis, et de reliquo futuri judicii metu concupiscentias refrenetis."

reliquo *pro bonis actibus* hæres bonorum coelestium *ex gestis propriis* fiat[1] — *confertur enim meritum homini ex bonis gestis.*"[2]

In aquis ipsis, "quæ primæ creatæ sunt,"[3] magicam regenerandi vim inesse credit; et eodem fere modo, quo postea Tertullianus, hanc vim de spiritu Dei, jam ab initio super aquas volitante, et formulâ baptismi ad efficacitatem suam exhibendam quasi invitato, derivare videtur. "Est enim in aquis istis," inquit, "misericordiæ vis quædam, quæ ex initio ferebatur super eas, et agnoscit eos, qui baptizantur sub appellatione triplicis sacramenti, et eripit eos de suppliciis futuris; quasi donum quoddam offerens Deo animas per baptismum consecratas. Confugite ergo ad aquas istas, solæ sunt enim, quæ possint vim futuri ignis extinguere."[4] Quum vero dæmones non solum ethnicos sollicitare iisque imperare, sed re vera *in iis inesse* credat, vera illa Christiana idea, quod perfecto baptismo homines consortio mali liberentur, divinæque communionis participes fiant, minime ei sufficiat, sed in perversam hanc, quod ad dæmones *magica* possessione

1) Lib. 3, cap. 67.

2) Lib. 6, cap. 8. Interdum tamen regenerantis baptismi gratiâ ad haecce opera efficienda homines firmari adumbrat: "Futura beatitudo illis solum reposita est, qui *per gratiam baptismi* pudicitiam justitiamque servaverint." Lib. 7, cap. 38, cfr. homil. 11, cap. 26, ubi in baptismo aliquid inesse ait, "ὥσπερ δῶρα προσφέρον τῷ ϑεῷ ὅν' ἂν ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος αὐτῶν τῶν βαπτισϑέντων τὰς εὐποιΐας."

3) Lib. 6, cap. 8.

4) Lib. 6, cap. 9, cfr. homil. 11, cap. 26.

pellendos *magica* insit in baptismo vis, transmutetur necesse est[1]. "Omnis," inquit, "qui idola coluit aliquando, vel de immolatis eorum degustavit, spiritu immundo non caret; conviva enim factus est dæmonum, et participium sumpsit ejus dæmonis, cujus in mente sua speciem vel timore vel amore formavit; et per hæc non mundus est a spiritu immundo, et ideo purificatione indiget baptismi, ut exeat ab eo spiritus immundus, qui interiores animi ipsius insedit affectus."[2] Baptizati autem ex sententia ejus non solum ipsi a dæmonibus liberati sunt, sed potestatem etiam, vera tamen ipsorum sanctificatione conditionatam, dæmonum ex aliis expellendorum acceperunt. "Diluantur," inquit, "peccata vestra per aquam fontis aut fluminis aut maris, invocato super vos trinæ

[1]) Quo ex dogmate iste baptizandos exorcizandi ritus sine dubio progerminavit; quum enim postea baptizandos re vera a dæmonibus obsessos fere omnes putarent, non mirandum, quod eodem modo, quo alios obsessos purgari credebant, exorcismo nimirum, hos quoque purificandos putabant. Simul autem minime negari potest, quin hocce pravo ritu dogma baptismi in deterius mutatum sit; dogma enim, supra laudatum, quamvis mysticum sit, verâ tamen illâ Christianâ ideâ de perfecti baptismi vi nititur; notio autem, exorcismo subjecta, ne scintillam quidem veritatis habet. Quam ob rem quoque verior illa, licet et ipsa depravata et mystica, doctrina adhuc post exorcismum institutum aliquamdiu permanebat (vide infra in doctrina Cypriani). Ceterum permirum sane est, quod Augusti, maximam esse inter abrenunciationem et exorcismum differentiam, non intellexit. Vide Denkw. vol. 7 pag. 273 sqq.

[2]) Lib. 2 cap. 71.

beatitudinis nomine, ut per hoc non solum fugentur, si intra vos habitant, spiritus maligni, verum etiam, quum destiteritis a peccatis, et tota fide totaque mentis puritate Deum credideritis, etiam ex aliis vos malignos spiritus et dæmones effugetis."[1] — Omnibus autem aliis mirabilius hocce effatum videtur: "Denique etiam hoc ponitur evidens magni mysterii hujus (ɔ: baptismi) indicium, ut omnis, qui credens prophetæ huic[2], qui a Mose prædictus est, baptizaretur in nomine ipsius, ab excidio belli, quod incredulæ genti imminet ac loco ipsi, servaretur illæsus; non credentes vero extorres loco et regno fiant, ut vel inviti intelligant et obediant voluntati Dei."[3] Utrum autem coecitate mentis, an fraude ductus, hocce, quod ex tota historica Christianorum ad Judæos ratione derivare debuisset, ipsi baptismati tribuerit, dubitandum est.

Quum igitur tantam spiritualem vim in baptismo inesse, nec nisi hoc solo homines spiritualiter regenerari posse, auctor credat; facile est ad intelligendum, omnibus absolute necessarium hoc opus ei videri. Re vera quoque totus est in necessitate ejus inculcanda, ut disertis verbis, *ne eum quidem, qui ab omni parte justus et sanctus sit, nisi baptismum acceperit, salutem consequi posse, sæpius affirmet.* "Ne putes," inquit, "quod, etiamsi omnem pietatem colas omnemque justitiam,

---

1) Lib. 4 cap. 32, cfr. homil. 9 cap. 19.

2) Christus nimirum, qui in libro nostro nomine Prophetæ et veri Prophetæ sæpissime appellatur.

3) Lib. 1 cap. 39.

baptismum vero non accipias, spem possis habere apud Deum."[1] Si quæris, quibus tandem rationibus hanc sententiam demonstrare conetur, prius hanc affert, Deum ipsum præcepisse, ut omnes baptizentur; omnes igitur, quicunque baptizari noluerint, præceptum divinum violasse, eoque ipso poena dignos esse. Quodsi hanc solam attulisset rationem, dicendum esset, eum, solummodo contemptum baptismi damnationem afferre, sensisse; sed, id quod jam ex supra dictis concludere licet, secundam hanc affert, neminem, nisi baptizetur, spiritualiter regenerari posse. Quomodo autem quis ab omni parte pius et justus esse possit, nec tamen regeneratus, et, quid sibi velit regeneratio, nisi eà solà vere pii justique homines fiant, non explicat. Verba ejus hæc sunt: "Deus jussit, omnem colentem se baptismo consignari, quod si tu reniteris, et tuæ voluntati magis, quam Dei obtemperas, contrarius sine dubio et inimicus es voluntati Dei. — Sed dices fortasse, quid confert aquæ baptismus ad Dei cultum? Primo quidem, quia, quod Deo placuit, impletur; secundo quia regenerato ex aquis et Deo renato fragilitas prioris nativitatis,' quæ tibi per hominem facta est, amputatur, et ita demum pervenire poteris ad salutem, aliter vero impossibile est. Sic enim nobis

---

[1]) Lib. 6 cap. 8. cfr. lib. 1 capp. 55. 63. 69. et homil. 11 cap. 25, ubi fortius etiam perversa hæc sententia ita exprimitur: "καὶ μή τοι νομίσῃς ὅτι ἐὰν πάντων τῶν ποτὲ γενομένων εὐσεβῶν εὐσεβέστερος γένῃ, ἀβάπτιστος δὲ ᾖς, ἐλπίδος τυχεῖν δυνήσῃ ποτέ."

cum sacramento verus propheta testatus est, dicens: Amen dico vobis, nisi quis denuo renatus fuerit *ex aqua*, non introibit in regnum coelorum. *Confugite ergo ad aquas istas; solæ sunt enim, quæ possint vim futuri ignis exstinguere.* Ad quos qui moratur accedere, constat in eo infidelitatis adhuc idolum permanere, et ab ipso prohiberi ad aquas, quæ salutem conferunt, properare. Sive enim justus es, sive injustus, baptismus tibi per omnia necessarius est; justo quidem, ut adimpleatur in eo perfectio et regeneretur Deo; injusto vero, ut peccatis, quæ gessit in ignorantia, remissio concedatur. Omnibus ergo festinandum est, sine mora renasci Deo."[1]

Irenæus[2].

Baptismum cum regeneratione confundens, nomine hujus illum ornat, imo "λύτρωσιν" et "ἀπολύτρωσιν"[3] appellat; quod posterius tamen non acerbius reprehendendum est, quum enim vero regenerationis lavacro *singuli* redemptionis, a Christo *omnibus* comparatæ, participes fiant, eodem

---

[1]) Lib. 6 capp. 8-9, homil. 11 capp. 25. 27.

[2]) Loci laud. ex ed. Grabii — Oxonii 1702 — excerpti sunt. Græcum textum non nisi ex parte nobis servatum esse, antiquum autem interpretem, cujus versionem habemus, verbum pro verbo reddidisse notum est.

[3]) Adv. hær. lib. 1 cap. 18. Verbum "τελεῖν" quoque, quod apud scriptt. proff. *mysteriis initiare* significat, de baptizandi actu adhibet. Ibid. infra.

redimi quoque aliquo jure dici possunt. Regeneranti huic baptismo summam mysticam magicamque vim attribuit; quippe quum non spiritualem solam, sed *sensualem* quoque cum Christo communionem hominibus eo concedi affirmet. Ex sententia enim ejus non solum *Spiritus S.* hoc baptismo *animis* hominum se impertit, eoque ipse eos, novum sanctumque vitæ principium in iis procreans, renovat; sed *aqua* etiam baptismi mortalibus eorum *corporibus* immortalitatem impertit[1], et corporalis spiritualis illius communionis consortia facit. — Non solum autem cum Christo ita regeneratos communionem habere, sed cum ecclesia quoque, ut unum Christi corpus omnes efficiant, bene observat, in eo tamen errans, quod hanc quoque communionem, quasi sensualis esset, depingere, causamque ejus efficientem in magica eadem aquæ vi quærere videtur. "Potestatem," inquit, "regenerationis in Deum demandans (ɔ: Christus) discipulis, dicebat iis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii et

---

1) Sæpius hanc *de regeneratione corporis* doctrinam, antea jam ab *Athenagora* in libro de resurrectione mortuorum propositam, postea vero a Tertulliano excultam, explicat. Ita adv. hær. lib. 5 cap. 11, "in quibus igitur," inquit, "peribamus membris, operantes ea, quæ sunt corruptelæ, in iisdem ipsis vivificamur, operantes ea, quæ sunt spiritus. Quemadmodum enim corruptelæ est capax caro, sic et incorruptelæ, et quemadmodum mortis sic et vitæ." Ceterum notandum est, Irenæum h. l. non aquæ vim, sed internam conversionem causam hujus rei ponere. Cfr. cap. 10 ejd. libri.

Spiritus S. Hunc enim promisit per prophetas effundere in novissimis temporibus super servos et ancillas, ut prophetent; unde et in filium Dei, filium hominis factum, descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano et requiescere in hominibus et habitare in plasmate Dei, voluntatem patris operans in ipsis et renovans eos a vetustate in novitatem Christi ...... Unde et dominus pollicitus est, mittere se paracletum, qui nos aptaret Deo. Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis, ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus sine aqua, quæ de coelo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic et nos, lignum aridum existentes primum, nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia. *Corpora enim nostra per lavacrum illam, quæ est ad incorruptionem, unitatem acceperunt, animæ autem per Spiritum.*"[1]

Observandum vero est solummodo de perfecto baptismo Irenæum hæc edixisse, quia etiam disertis verbis affirmasse, *fide sola* hominem Sancti Spiritus participem fieri posse. "Homo," inquit, "*per fidem* insertus et assumens spiritum Dei, substantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem fructus operum immutat, et aliud accipit vocabulum, significans eam, quæ in melius est, transmutationem, jam non caro et sanguis, sed homo spiritualis existens. .... Sic et homo, non

---

[1]) Lib. 3 cap. 19.

assumens *per fidem* spiritus insertionem, perseverat hoc esse, quod erat ante, caro et sanguis, regnum Dei non possidens."[1] Nec hoc solo loco, sed pluribus, ipsam esse efficacem fidem, quæ regeneret et salvos faciat, indicat. "Qui credunt Deum," inquit, "et sequuntur verbum ejus, percipiunt eam, quæ est ab eo, salutem"[2] — et alio loco: "Qui infructuosi sunt justitia et velut sentibus obvoluti homines, si diligentiam percipiant, et velut insertionem accipientes verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, eam, quâ secundum imaginem et similitudinem factus est Dei."[3] — Doctrina vero ejus de baptismi vi ad corporum naturam mutandam omnibus nominibus superstitiosa est.

Primus omnium Irenæus baptismum *infantium* commemoravit[4]; quum vero hunc quoque regenerationem vocet, de natura et vi ejus sententiam, ab omni parte superstitiosam, habuerit necesse est. Hac enim ratione minime valet, quod de perfecto solo baptismo cogitaverit; quum baptismus infantis, vera fide necessario carentis, perfectus esse nullo modo possit. Verba ejus hæc sunt: "Magister existens (ɔ: Christus), magistri quoque habebat ætatem, non reprobans nec supergrediens hominem, neque solvens suam legem in se humani generis, sed omnem ætatem sanctificans

---

[1]) Lib. 5 cap. 10.
[2]) Lib. 4 cap. 66.
[3]) Lib. 5 cap. 10.
[4]) Vide Neand. K. G. vol. 1 pag. 368.

per illam, quæ ad ipsum erat, similitudinem. Omnes enim venit per semetipsum salvare; omnes inquam, qui per eum *renascuntur* in Deum, *infantes*, *parvulos*, *pueros et juvenes et seniores*. Ideo per omnem venit ætatem; et infantibus infans factus, sanctificans infantes; in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem, simul et *exemplum* pietatis iis effectus et justitiæ et subjectionis; in juvenibus juvenis, *exemplum* juvenibus fiens, et sanctificans Domino; sic et senior in senioribus, ut sit perfectus magister in omnibus, non solum secundum expositionem veritatis sed et secundum ætatem, sanctificans simul et seniores, *exemplum* ipsis quoque fiens."[1] Quo loco imprimis animadvertendum est, Irenæum, quum omnes renasci dicat, infantes non solum a pueris sed etiam a parvulis distinguere, porro in omnibus aliis, inde a parvulis ad seniores, commemorandis *exempli* quoque Christi mentionem facere, in infantibus autem commemorandis minime, ut plane appareat, eum de infantibus, qni nondum Christum cognoscere et credere possent, verba fecisse, et *regenerationis* eorum mentionem faciendo, nil aliud intellexisse, nisi baptismum, quum de vera eorum regeneratione sermo nullo modo esse posset.

Ex Irenæi effatis de hæreticis, eum baptismum eorum minime ratum habuisse, meâ sententiâ concludere licet; quamquam enim disertis verbis hoc non affirmat, clare tamen ex quodam libri

---

1) Lib. 2 cap. 39.

primi loco apparet, quo de diversis baptizandi modis, ab hæreticis usurpatis, verba faciens, "ὅσοι γάρ εἰσι," inquit, "ταύτης τῆς γνώμης μυσταγωγοί, τοσαῦται ἀπολυτρώσεις (i. e. βαπτίσματα). καὶ ὅτι μὲν εἰς ἐξάρνησιν τοῦ βαπτίσματος τῆς εἰς Θεὸν ἀναγεννήσεως καὶ πάσης τῆς πίστεως ἀπόθεσιν ὑποβέβληται τὸ εἶδος τοῦτο ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ."[1]

Clemens Alexandrinus.[2]

Coloribus tam splendidis efficacitatem baptismi Clemens depinxit, ut nemo sane pluris eam æstimasse videatur. Notissima sunt hæcce ejus verba: "βαπτιζόμενοι φωτιζόμεθα, φωτιζόμενοι υἱοποιούμεθα, υἱοποιούμενοι τελειούμεθα, τελειούμενοι ἀπαθανατιζόμεθα. .... Καλεῖται δὲ πολλαχῶς τὸ ἔργον τοῦτο (ɔ: βάπτισμα), χάρισμα καὶ φώτισμα καὶ τέλειον καὶ λουτρόν· λουτρὸν μὲν, δι' οὗ τὰς ἁμαρτίας ἀποῤῥυπτόμεθα· χάρισμα δὲ, ᾧ τὰ ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν ἐπιτίμια ἀνεῖται· φώτισμα δὲ, δι' οὗ τὸ ἅγιον ἐκεῖνο φῶς τὸ σωτήριον ἐποπτεύεται, τουτέστιν δι' οὗ τὸ θεῖον ὀξυωποῦμεν· τέλειον δὲ τὸ ἀπροσδεὲς φαμέν· τί γὰρ λείπεται τῷ θεὸν ἐγνωκότι;"[3] — quibus ex verbis, utramque regenerationis partem, et *negativam* ɔ: purgationem a peccatis atque peccatorum remissionem — et *positivam* ɔ: illuminationem, adop-

---

[1]) Lib. 1 cap. 18.

[2]) Loci laud., quibus non additum est, unde excerpti sint, ex ed. Caroli Morelli — Lutetiæ 1629 — recitati sunt.

[3]) Pædag. lib. 1 cap. 6 pag. 93.

tionem, perfectionem (hypotheticam nimirum, infra accuratius definiendam) communicationem vitæ æternæ — effectus esse baptismi, Clementem statuisse apparet. Rationem mutuam inter negativam et positivam hanc baptismi efficacitatem ita descripsit, ut illam antecedere dixerit, quo peccata hominum abstergat, eoque ipso naturalem divinæ lucis recipiendæ facultatem, quam in omnibus hominibus, licet vitiositate eorum occæcatam, inesse bene intellexerit, puram et idoneam reddat, quæ Spiritum Sanctum accipiat, vel positivæ efficacitatis vim percipiat. "Καθάπερ," inquit, "οἱ τὸ ὑπόχυμα τῶν ὀφθαλμῶν κατάγειν πειρώμενοι οὐ τὸ φῶς αὐτοῖς ἔξωθεν χορηγοῦσιν, ὃ οὐκ ἔχουσιν, τὸ δὲ ἐμπόδιον ταῖς ὄψεσι καταβιβάζοντες, ἐλευθέραν ἀπολείπουσι τὴν κόρην· οὕτως καὶ οἱ βαπτιζόμενοι, τὰς ἐπισκοτούσας ἁμαρτίας τῷ θείῳ πνεύματι ἀχλύος δίκην ἀποτριψάμενοι, ἐλεύθερον καὶ ἀνεμπόδιστον καὶ φωτεινὸν ὄμμα τοῦ πνεύματος ἴσχομεν, ᾧ δὴ μόνῳ τὸ θεῖον ἐποπτεύομεν, οὐρανόθεν ἐπεισρέοντος ἡμῖν τοῦ ἁγίου πνεύματος."[1]

[1]) Ibid. pagg. 93-94. Quodsi oculos ab eo, quod partes regenerationis baptismo tribuit, avertimus, et hancce rationis mutuæ descriptionem per se spectamus, confitendum est, eam minime reprehendendam esse, imo laudandam, si modo intellexerit auctor, quæ hic cogitatione separentur, re tam arcte conjuncta esse, ut negativa pars, licet efficacitas ejus initio regenerationis fortior sit, in ipsa positiva parte fundata sit, nec ergo huic absolute antecedere possit. Id quod eum re vera intellexisse infra videbimus.

Baptismum hæc omnia perficere, et summa quidem ac perfecta vi, vel ex eo solo Clementi certissimum videtur, quod *Dei donum* sit, qui, quum ipse perfectissimus sit, non nisi perfecta hominibus largiatur[1]; neque observavit, ipsâ hac de causa dona Dei perfecta dicenda esse, quod diversis recipiendi facultatibus, quas singulis hominibus pro abscondita sua sapientia Deus concesserit, quasque, Deo gubernante, plus minusve ipsi excoluerint, sapientissime adaptata sint. Minime igitur subjectivas baptismi conditiones spectasse, sed propriam ejus vim, ut si absolute magica esset, descripsisse videtur; quæ suspicio etiam confirmabitur, quando ad miram inter ipsius salvatoris et nostrum baptismum comparationem respexerimus. Ex verbis enim in baptismo Christi coelitus sonantibus, quæ quidem verba ita citat: "υἱός μου εἶ σὺ ἀγαπητὸς, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε" — ipsum salvatorem baptismo *regeneratum* esse concludit; et hanc regenerationem absolute perfectam fuisse, ut nil omnino Christo regenerato defuerit, nec quidquam discere ei opus fuerit, ex eo, quod salvatorem jam naturâ suâ ab omni parte perfectum fuisse necesse sit, miro sane modo probare conatur. Quum igitur — ita concludendo pergit — nil a Johanne vel aliis discere potuerit, necesse

---

1) "καὶ γὰρ ἄτοπον ὡς ἀληθῶς, χάρισμα κεκλῆσθαι θεοῦ τὸ μὴ πεπληρωμένον· τέλειος δὲ ὢν, τέλεια χαριεῖται δήπουθεν. ὡς δὲ ἅμα τῷ κελεῦσαι αὐτὸν πάντα γίνεται, οὕτως ἕπεται τῷ χαρίσασθαι μόνον βουληθῆναι αὐτὸν, πεπληρῶσθαι τὴν χάριν." Ibid. pag. 93.

est, cum lavacro solo regenerationis perfectionem assecutum esse, quod idem nobis quoque contingit, ut baptismo perfectionem statim consequamur. Quo ex turbatissimo loco, quem infra totum afferam, summo jure concludi posse crederes, Clementem in eam opinionem adductum fuisse, ut baptismum *ex opere operato* quemcunque baptizatum perfectum reddere putaret. Verba hæc sunt: "αὐτίκα γοῦν βαπτιζομένῳ τῷ Κυρίῳ ἀπ' οὐρανῶν ἐπήχησε φωνὴ μάρτυς ἠγαπημένου· υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. πυθώμεθα οὖν τῶν σοφῶν· σήμερον ἀναγεννηθεὶς ὁ Χριστὸς ἤδη τέλειός ἐστιν, ἢ, ὅπερ ἀτοπώτατον, ἐλλιπής. εἰ δὲ τοῦτο, προσμαθεῖν τι αὐτῷ δεῖ. ἀλλὰ προςμαθεῖν μὲν αὐτὸν εἰκὸς οὐδὲ ἕν, θεὸν ὄντα· οὐ γὰρ μείζων τις εἴη τοῦ λόγου, οὐδὲ μὴν διδάσκαλος τοῦ μόνου διδασκάλου. μή τι οὖν ὁμολογήσουσιν ἄκοντες, τὸν λόγον τέλειον ἐκ τελείου φύντα τοῦ πατρὸς κατὰ τὴν οἰκονομικὴν προδιατύπωσιν ἀναγεννηθῆναι τελείως; καὶ εἰ τέλειος ἦν, τί ἐβαπτίζετο ὁ τέλειος; ἔδει, φασί, πληρῶσαι τὸ ἐπάγγελμα τὸ ἀνθρώπινον. παγκάλως. φημὶ γάρ. ἅμα τοίνυν τῷ βαπτίζεσθαι αὐτὸν ὑπὸ Ἰωάννου, γίνεται τέλειος; δῆλον ὅτι. οὐδὲν οὖν πρὸς αὐτοῦ προσέμαθεν; οὐ γάρ. τελειοῦται δὲ τῷ λουτρῷ μόνῳ, καὶ τοῦ πνεύματος τῇ καθόδῳ ἁγιάζεται; οὕτως ἔχει. τὸ δὲ αὐτὸ συμβαίνει τοῦτο καὶ περὶ ἡμᾶς, ὧν γέγονεν ὑπογραφὴ ὁ Κύριος. βαπτιζόμενοι φωτιζόμεθα, φωτιζόμενοι υἱοποιούμεθα κ. τ. λ."[1], quæ supra citavi.

---

1) Pædag. lib. I cap. 6 pagg. 92-93. Interpunctionem, quam in ed. Morelli corruptam esse facile est intellectu, ex ed. Potteri correxi.

Attamen confitendum est, totum Clementis systema, cujus inter sententias primarias hæcce sit, quod omnes divinæ gratiæ effectus τῇ αὐτοκινήσει liberi hominum arbitrii obstricti sint[1], quominùs absolute magicam ejus de baptismo et regeneratione doctrinam habeamus, impedire. Quodsi contextum loci supra laudati diligentius investigaverimus, *primum* inveniemus, auctorem l. l. contra eos, qui nomen τῶν παίδων καὶ νηπίων, Christianis, habita regenerationis ratione, inditum, ludibrio haberent, disputasse, eamque ob causam, quum baptismo homines non statui humili et contemnendo, sed ipsi perfectioni initiari ostendere vellet, facillime eo adduci potuisse, ut nimis larga manu eum ornaret; *deinde* eum minime putasse, perfectionem, quam baptizatos jam obtinuisse affirmat, omnibus numeris absolutam esse, imo bene intellexisse, Christum "τὸν μόνον ἐν δικαιοσύνῃ τέλειον"[2] esse, et talem perfectionem, qualem ipse haberet, consequi discipulis ejus minime contingere. Miranda enim protervitas ei videtur, si quis semetipsum omnibus nominibus perfectum æstimet, quum Paulus ipse se nondum veram perfectionem consecutum esse arbitratus sit; nam sanctus hicce apostolus solummodo "τέλειον," inquit Clemens, "ἑαυτὸν ἡγεῖται, ὅτι ἀπήλλακται τοῦ προτέρου βίου, ἔχεται δὲ τοῦ κρείττονος, οὐχ ὡς ἐν γνώσει τέλειος, ἀλλ' ὡς τοῦ τελείου ἐφιέμενος."[3] Quam igitur perfectionem baptismo accipi

1) Vide Neand. K. G. vol. I pagg. 699-700.
2) Pædag. lib. I cap. 5 pag. 88.
3) Ibid. cap. 6 pag. 107.

dicit, ea relativa est, quæ eo ipso contineatur, quod homini contigerit, a vetere, peccatis dedita vita liberatus, et ad novam, in fide Christi, solius vere perfecti, vivendam vitam regeneratus, veram perfectionem sequi. Hanc Paulum sibi vindicasse ait et perfectionis nomine ornasse, quippe qui, posteaquam in ep. ad Phill. cap. 3 verss. 12-14 se perfectionem nondum apprehendisse, solummodo vero eam summo studio sequi concesserit, versu tamen decimo quinto dicat: "ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν. — τελείωσιν δηλονότι λέγων," addit Clemens, "τὸ ἀποτετάχθαι ταῖς ἁμαρτίαις, καὶ εἰς πίστιν τοῦ μόνου τελείου ἀναγεγεννῆσθαι, ἐκλαθομένους τῶν κατόπισθεν ἁμαρτιῶν."[1] Hanc perfectionem omnes alios quoque baptismo accipere ait, quum in regnum lucis intrent, et, a morte liberati, Christum sequendo jam vitam æternam in se habeant; qua perfectione nullam his in terris majorem esse, quum homines certiores reddat, veram perfectionem ipsis reservatam esse, et hanc ipsam *fide*, quæ solutionem divini promissi credat, jam hac in vita antecapiat. "τὸ γὰρ μέλλον τοῦ χρόνου," inquit, "τῇ δυνάμει τοῦ θελήματος προσλαμβάνεται. πρὸς δὲ καὶ ἡ τῶν κακῶν ἀπαλλαγὴ σωτηρίας ἐστὶν ἀρχή. μόνοι δὲ ἄρα οἱ πρῶτον ἀρξάμενοι τῶν ὅρων τῆς ζωῆς ἤδη τέλειοι· ζῶμεν δὲ ἤδη οἱ θανάτου κεχωρισμένοι. σωτηρία τοίνυν τὸ ἕπεσθαι Χριστῷ· ὃ γὰρ γέγονεν ἐν αὐτῷ, ζωή ἐστιν. ..... ἀλλ' οὐδέ πω, φασὶν, ἀπείληφε τὴν τελείαν δωρεάν. σύμφημι κἀγώ. πλὴν ἐν φωτί ἐστι, καὶ τὸ σκότος

---

[1]) Pædag. lib. I cap. 6 pag. 107.

αὐτὸν οὐ καταλαμβάνει· φωτὸς δὲ ἀνὰ μέσον καὶ τοῦ σκότους οὐδὲ ἕν. ἐν δὲ τῇ ἀναστάσει τῶν πιστευόντων ἀπόκειται τὸ τέλος· τὸ δὲ οὐκ ἄλλου τινός ἐστι μεταλαβεῖν, ἀλλ' ἢ τῆς προωμολογημένης ἐπαγγελίας τυχεῖν· μὴ γὰρ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἅμα ἄμφω συνίστασθαι φαμὲν, τήν τε πρὸς τὸ πέρας ἄφιξιν, καὶ τῆς ἀφίξεως πρόληψιν· οὐ γάρ ἐστι ταὐτὸν αἰὼν καὶ χρόνος· οὐδὲ μὴν ὁρμὴ καὶ τέλος· οὐκ ἔστι· περὶ ἓν δὲ ἄμφω, καὶ περὶ ἄμφω ὁ εἷς καταγίνεται. ἔστι γοῦν, ὡς εἰπεῖν, ὁρμὴ μὲν ἡ πίστις ἐν χρόνῳ γεννωμένη· τέλος δὲ τὸ τυχεῖν τῆς ἐπαγγελίας εἰς αἰῶνας βεβαιούμενον."[1] — *Tandem*, **id quod gravissimum est, et ex loco quoque nuper laudato jam apparet, Clementem nostrum, licet de baptismo in universum loqui videatur, nihilosecius** ***de perfecto solo*** **hæc omnia edixisse, et** ***fidem veram vivamque necessariam horum effectuum conditionem posuisse*****, inveniemus:** "ἃ γὰρ ἡ ἄγνοια συνέδησε κακῶς," **inquit,** "ταῦτα διὰ τῆς ἐπιγνώσεως ἀναλύεται καλῶς· τὰ δὲ δεσμὰ ταῦτα, ᾗ τάχος, ἀνίεται πίστει δὲ ἀνθρωπίνῃ, θεϊκῇ δὲ χάριτι, ἀφιεμένων τῶν πλημμελημάτων ἑνὶ παιωνίῳ φαρμάκῳ, λογικῷ[2] βαπτίσματι. πάντα

---

[1]) Ibid. pagg. 93-94. Quod præterea ad verba "τέλειος — τελειοῦσθαι" — attinet, ex omnibus hisce locis sole clarius fit, *ethicam* eorum notionem Clementem minime neglexisse, nec eodem plane sensu, quo in mysteriis adhiberentur, de sola perfecta in mysteria initiatione iis usum esse. Cfr. tamen Münter: "Haandbog i den ældste chrl. Ks. Dogmehistorie" vol. II pag. 400, et Münscher: "Handbuch der Dogmengeschichte" vol. II pag. 331.

[2]) "Bey den Kirchenvätern heisst jeder Theil des Cul-

μὲν οὖν ἀπολουόμεθα τὰ ἁμαρτήματα, οὐκέτι ἰδὲ ἐσμὲν παρὰ πόδας κακοί. μία χάρις αὕτη τοῦ φωτίσματος, τὸ μὴ τὸν αὐτὸν εἶναι τῷ πρὶν ἢ λούσασθαι τὸν τρόπον. ὅτι δὲ ἡ γνῶσις συνανατέλλει τῷ φωτίσματι, περιαστράπτουσα τὸν νοῦν, καὶ εὐθέως ἀκούομεν μαθηταὶ οἱ ἀμαθεῖς. πότερόν ποτε τῆς μαθήσεως ἐκείνης προσγενομένης; οὐ γὰρ ἂν ἔχοις εἰπεῖν τὸν χρόνον· ἡ μὲν γὰρ κατήχησις εἰς πίστιν περιάγει· πίστις δὲ ἅμα βαπτίσματι ἁγίῳ παιδεύεται πνεύματι· ἐπεὶ ὅτι γε μία καθολικὴ τῆς ἀνθρωπότητος σωτηρία ἡ πίστις."[1] Licet igitur his quoque in verbis magna

---

tus λογικὸν, nach Röm. XII, 1, wo der Ausdruck λογικὴ λατρεία (vergl. 1 Pet. II, 2. γάλα λογικὸν) gebraucht wird. Doch beziehen sie dieses Wort insbesondere noch auf die Lehre vom Logos, und diese Beziehung dürfte hier wohl vorzugsweise anzunehmen seyn. Die Taufe ist das Sacrament, wodurch wir das Eigenthum des Logos werden." Augusti Denkw. vol. VII pag. 24.

[1]) Pædag. lib. 1, cap. 6 pag. 95. Cfr. pag. 93: "οὕτω τὸ πιστεῦσαι μόνον καὶ ἀναγεννηθῆναι, τελείωσίς ἐστιν ἐν ζωῇ" — et cap. 12 pag. 133: "καί μοι δοκεῖ αὐτὸς οὗτος (ɔ: Χριστὸς) πλάσαι μὲν τὸν ἄνθρωπον ἐκ χοὸς, ἀναγεννῆσαι δὲ ὕδατι, αὐξῆσαι δὲ πνεύματι, παιδαγωγῆσαι δὲ ῥήματι, εἰς υἱοθεσίαν καὶ σωτηρίαν ἁγίαις ἐντολαῖς κατευθύνων, ἵνα δὴ τὸν γηγενῆ εἰς ἅγιον καὶ ἐπουράνιον μεταπλάσας ἐκ προσβάσεως ἄνθρωπον, ἐκείνην τὴν θεϊκὴν μάλιστα πληρώσῃ φωνήν· ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν ἡμῶν" — quibus ex verbis apparet, Clementem, quamvis baptismum per se summis laudibus efferat, necessitatem tamen institutionis verbi divini simul statuisse, nec nisi pro uno veræ renovationis medio baptismum habuisse. — Idem ne ju-

confusio sit; licet dubitet auctor, utrum in perfecto hocce baptismo gravior sit baptismus per se spectatus, an fides, quæ demum illum perficiat, utrum hominem vere illuminet opus illud externum, an institutio verbi divini; licet effectus regenerantis hujus baptismi repente, externo opere operato, apparere dicat; licet denique non intellexisse videatur, baptismum suscipi posse sine fide: confitendum tamen est, multum hancce ejus doctrinam ab illa distare, quæ in confusa comparatione inter Christi et Christianorum baptismum inesse videretur.

In universum magnam inter veram Christianam conscientiam, quæ poenitentià, conversione, fide, internis hisce actibus, libera Spiritus Sancti efficacitate in hominum animis procreatis, eos renovari dicat, et pravam superstitionem, quæ rebus externis magicam ad eos regenerandos vim tribuat, contentionem in doctrina Clementis reperimus; nec desunt loci, in quibus illa pure et pulchre enunciata sit. Animi conversionem ait homines idoneos reddere, qui Deum cordibus suis recipiant[1]; eandemque esse, quæ remissionem peccato-

---

stos, ante Christum defunctos, condemnatos habere cogatur, illud quidem Hermæ dogma de apostolorum ad inferos descensione probat, in eo autem, vera Christiana conscientia ductus, ab Herma differt, quod non tam baptismate quam fidei prædicatione eos ad salutem adductos esse ait, nec justos solos Judæos, sed ethnicos quoque hujus salutis participes fieri contendit. Strom. lib. 2 pag. 379 et lib. 6 pag. 637.

1) "μόνον ἐξ ὅλης καρδίας μετανοήσωμεν, ὡς ὅλῃ καρδίᾳ

rum iis compareret[1]; fidem esse, qua salutem æternamque vitam consequantur. "πιστεύσατε," inquit, "καὶ μισθὸν λάβετε σωτηρίαν. ἐκζητήσατε τὸν θεὸν, καὶ ζήσεται ἡ ψυχὴ ὑμῶν· ὁ ἐκζητῶν τὸν θεὸν, τὴν ἰδίαν πολυπραγμονεῖ σωτηρίαν. εὗρες τὸν θεὸν; ἔχεις τὴν ζωήν. ζητήσωμεν οὖν, ἵνα καὶ ζήσωμεν. ὁ μισθὸς τῆς εὑρέσεως, ζωὴ παρὰ θεῷ."[2] Nec eum fallit, intimam esse mutuam reactionem inter poenitentiam et fidem, ut poenitentia animique conversio, licet fidei perfectiori necessario antecedant, non tamen sine ulla fide adesse possint: "πίστεως οὖν," inquit, "καὶ ἡ μετάνοια κατόρθωμα· ἐὰν γὰρ μὴ πιστεύσῃ ἁμάρτημα εἶναι, ᾧ προκατείχετο, οὐδὲ μεταθήσεται· κἂν μὴ πιστεύσῃ κόλασιν μὲν ἐπηρτῆσθαι τῷ πλημμελοῦντι, σωτηρίαν δὲ τῷ κατὰ τὰς ἐντολὰς βιοῦντι, οὐδὲ οὕτως μεταβαλεῖται."[3] — Splendidas illas denominationes, τὴν ἀναγέννησιν — τὸν φωτισμὸν, antea de baptismo adhibitas, institutioni

---

δυνηθῆναι χωρῆσαι τὸν θεόν." Cohort. ad Græcos pag. 83 ed. Potteri.

1) "μετάνοια, δι' ἣν ἄφεσις ἁμαρτιῶν. Stromat. 2, 3. Pott.

2) Cohort. pag. 84, Pott. Ceterum Clementem τὴν πίστιν non mortuam et inefficacem agnitionem, sed veram vivamque conscientiam Dei Christique, plenam erga præcepta Dei obedientiam procreantem, duxisse, hæcce pulcherrima effata argumento erunt: "εἰ τοίνυν ἡ πρὸς τὸν λόγον ἀπείθεια ἁμαρτίας ἐστὶ γεννητική, πῶς οὐχὶ ἐξ ἀνάγκης ἡ τοῦ λόγου ὑπακοή, ἣν δὴ πίστιν φαμὲν, τοῦ καλουμένου καθήκοντος ἔσται περιποιητική"; et infra: "τῶν ὑπὸ τοῦ λόγου διδασκομένων ἀδιάπτωτος ἐνέργεια, ἣν δὴ πίστιν κεκλήκαμεν." Pæd. lib. I, cap. 13, pagg. 135-36.

3) Ibid. lib. 2, pag. 371.

quoque indere non dubitat[1]; et interdum ita loquitur, ut si nullam prorsus aliam purificationem cognoscat, quam animi conversionem, nullam aliam puritatem, quam abstinentiam atque vitæ sanctitatem; et ita quidem eas commemorat, ut externis purificationibus externæque puritati, ut rebus nullius momenti, opponantur. "ἁγνεία δέ ἐστι φρονεῖν ὅσια. .... ἔθος τοῦτο Ἰουδαίων, ὡς καὶ τὸ πολλάκις ἐπὶ κοίτῃ βαπτίζεσθαι. εὖ γὰρ οὖν κἀκεῖνο εἴρηται· Ἴσθι μὴ λουτρῷ ἀλλὰ νόῳ καθαρός. ἁγνεία γάρ, οἶμαι, τελεία ἡ τοῦ νοῦ καὶ τῶν ἔργων καὶ τῶν διανοημάτων, πρὸς δὲ καὶ τῶν λόγων εἰλικρίνεια, καὶ τελευταία, ἡ κατὰ τὰ ἐνύπνια ἀναμαρτησία. ἱκανὴ δὲ, οἶμαι, ἀνθρώπῳ κάθαρσις, μετάνοια ἀκριβὴς καὶ βεβαία."[2] Pulcherrimum tandem effatum, alia quidem occasione — de Christo adolescenti diviti, ut bona venderet, præcipiente — allatum, sed ita comparatum, ut in dogma quoque baptismi optime quadret, minime prætermittendum est; quo docet auctor, ultimum præceptorum Christi finem non eo spectare, ut externa conspicua opera homines patrent, sed eo solummodo, ut intimo pectore puri sint. "οὐ τὸ φαινόμενον," inquit, "ὅπερ ἄλλοι πεποιήκασι, παρεγγυᾷ (ɔ: Χριστὸς), ἀλλ' ἕτερόν τι διὰ τοῦτο σημαινόμενον μεῖζον καὶ

---

[1]) "καὶ παρὰ τοῖς βαρβάροις φιλοσόφοις τὸ κατηχῆσαί τε καὶ φωτίσαι, ἀναγεννῆσαι λέγεται· καὶ ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὁ καλός που λέγει ἀπόστολος." Strom. lib. 5, pag. 552. "φωτισμὸς ἡ μαθητεία κέκληται, ἡ τὰ κεκρυμμένα φανερώσασα." Strom. lib. 5, pag. 578.

[2]) Ibid. 4, pag. 531, cfr. lib. 7, pag. 714.

θειότερον καὶ τελειότερον, τὸ τὴν ψυχὴν αὐτὴν καὶ τὴν διάθεσιν γυμνῶσαι τῶν ἀπὸ τῶν παθῶν, καὶ πρόῤῥιζα τὰ ἀλλότρια τῆς γνώμης ἐκτεμεῖν καὶ ἐκβαλεῖν· τοῦτο γὰρ ἴδιον μὲν τοῦ πιστοῦ τὸ μάθημα, ἄξιον δὲ τοῦ σωτῆρος τὸ δίδαγμα"[1]. — quodsi in baptizandi præceptum, a Christo datum, hæcce transtulisset Clemens, confitendum ei fuisset, externum baptismum minime ex præcepto illius graviorem esse, sed "ἕτερόν τι διὰ τοῦτο σημαινόμενον, μεῖζον καὶ θειότερον καὶ τελειότερον," spiritualem nimirum regenerationem.

In fragmento τῶν ἐκλογῶν ἐκ τῶν προφητικῶν, quod partem fuisse libri illius amissi, qui ὑποτυπώσεις inscribebatur, Neander putat[2], doctrinam de baptismi natura et effectibus, a supra proposita aliquanto diversam, invenimus. "μήτι αὐτὸ τὸ βάπτισμα," inquit, "ἀναγεννήσεως ὑπάρχον σημεῖον, τῆς ὕλης ἐστὶν ἔκβασις διὰ τῆς τοῦ σωτῆρος διδασκαλίας μεγάλου καὶ σφοδροῦ ῥεύματος ἀεὶ φερομένου καὶ παραφέροντος ἡμᾶς[3]; ἐξάγων οὖν τῆς ἀταξίας ἡμᾶς ὁ Κύριος φωτίζει, εἰς τὸ φῶς ἄγων τὸ ἄσκιον καὶ οὐκ ἔτι ὑλικόν. ..... αὐτίκα δι' ὕδατος καὶ πνεύματος ἡ ἀναγέννησις, καθάπερ καὶ ἡ πᾶσα γένεσις· πνεῦμα γὰρ θεοῦ ἐπεφέρετο τῇ ἀβύσσῳ· καὶ διὰ τοῦτο ὁ σωτὴρ ἐβαπτίσατο, μὴ χρήζων αὐτὸς, ἵνα τοῖς ἀναγεννωμένοις τὸ πᾶν ὕδωρ ἁγιάσῃ. ταύτῃ τοι οὐ μόνον τὸ σῶμα, ἀλλὰ καὶ τὴν ψυχὴν

---

[1]) τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος pag. 941. Pott.

[2]) K. G. vol. I pag. 781.

[3]) Corruptam Morelli interpunctionem ex ed. Potteri emendavi.

καθαιρόμεθα. σημεῖον γοῦν, τοῦ καὶ ἀόρατα ἡμῶν ἁγιάζεσθαι, τὸ καὶ πνεύματα ἀκάθαρτα συμπεπλεγμένα τῇ ψυχῇ διυλίζεσθαι ἀπὸ τῆς γενέσεως τῆς καινῆς τε καὶ πνευματικῆς. .... ἐπεὶ τὸ βάπτισμα γίνεται δι' ὕδατος καὶ πνεύματος, ἀλεξητήριον ὂν πυρὸς τοῦ δισσοῦ, τοῦ τε τῶν ἀοράτων ἁπτομένου καὶ τοῦ τῶν ὁρατῶν· ἀνάγκη καὶ τοῦ ὕδατος τὸ μέν τι νοητὸν, [τὸ δὲ αἰσθητὸν ὑπάρχον, ἀλεξητήριον τῆς]διπλόης τοῦ πυρός· [καὶ τὸ μὴν ἐπίγειον ὕδωρ τὸ σῶμα ἀποῤῥύπτει, τὸ δὲ ἐπουράνιον ὕδωρ, διὰ τὸ εἶναι νοητὸν καὶ ἀόρατον, πνεῦμα ἀλληγορεῖται ἅγιον, τῶν ἀοράτων καθαρτικὸν, οἷον τοῦ πνεύματος ὕδωρ, ὥσπερ ἐκεῖνο τοῦ σώματος."[1] **Quæ doctrina, ut jam supra dixi, haud parum ab ea differt, quam in Pædagogo et Stromatibus Clemens proposuit; quæ differentia diligenter investiganda atque æstimanda est, præsertim quum dubitari possit, utrum l. l. sententia ipsius Clementis proposita sit, necne. Loco igitur I. *Diaboli* animos hominum obsessos tenere, baptismi autem vi expelli dicuntur[2], quod dogma, quamvis cum effatis "Recognitionum" et cum sententiis serioris ætatis patrum consentiat, plane**

---

[1]) **L. l. pag. 801.**

[2]) **Dogma, huic oppositum, sed absurdius, in libro, qui** "ἐκ τῶν Θεοδότου ἐπιτομαὶ" **inscribitur, enunciatum, ut ex eo appareat, quo tandem progredi queant magicæ opiniones, proponam:** "ἐπὶ τὸ βάπτισμα χαίροντας ἔρχεσθαι προσῆκεν. ἀλλ' ἐπεὶ πολλάκις συγκαταβαίνει τισὶ καὶ ἀκάθαρτα πνεύματα, παρακολουθοῦντα καὶ τυχόντα μετὰ τοῦ ἀνθρώπου τῆς σφραγίδος, ἀνίατα τοῦ λοιποῦ γίνεται, ἃ τῇ χαρᾷ συμπλέκεται φόβος, ἵνα τις μόνος καθαρὸς αὐτὸς κατέλθῃ." **pag. 800.**

tamen ab ipsius Clementis in Stromatibus enunciata doctrina dissentit; nam diabolica quidem opera peccatores patrare, minime vero ab ipsis diabolis obsessos teneri, porro peccata quidem, quæ ad similitudinem diabolorum patrarint, iis baptismi regeneratione remitti, minime vero ipsos diabolos ex iis expelli, disertis verbis docet[1]. Sed, licet magna sit hæcce differentia, fieri tamen potuisse, ut diversis temporibus diversæ sententiæ scriptor fuerit, nemo negabit. Porro *permira sane veri falsique confusio* in hocce effato reperitur; nam altera ex parte verum fortius, quam in ullo alio Clementis libro, expressum invenimus, quum baptisma per se solummodo σημεῖον τῆς ἀναγεννήσεως appelletur, nec nisi διὰ τῆς τοῦ σωτῆρος διδασκαλίας homines salvos reddere dicatur; altera vero ex parte magicum mysticumque elementum magis, quam ullo alio loco, et crassissime quidem l. c. excultum est, quum *realem Spiritus S. cum aqua conjunctionem*, Spiritus super aquas volatu, in libri Geneseos cap. 1 versu 2 commemorato, et salvatoris baptismo effectam, auctor statuisse videatur, nec hoc solum, sed crassissimum quoque dogma de *modo*, quo duplex baptismi elementum efficacitatem suam præstet atque

---

1) ... "τὰς ἐνεργείας οὖν, τᾶς τοῖς δαιμονίοις καταλλήλους, ἐπιτελεῖν τοὺς ἁμαρτωλοὺς, οὐχὶ δὲ αὐτὰ τὰ πνεύματα ἐν τῇ τοῦ ἀπίστου κατοικεῖν ψυχῇ." Strom. lib. 2, pag. 410 et infra pag. 411: "οὐ γὰρ οἱ δαίμονες ἡμῶν ἀπελαύνονται, ἀλλ' αἱ ἁμαρτίαι ἀφίενται, ἃς ὁμοίως ἐκείνοις ἐπιτελοῦμεν, πρὶν ἢ πιστεῦσαι." cfr. Strom lib. 6, pag. 663.

corpus una cum animo salvum faciat, duplicem nimirum, animum corpusque hominis cruciatibus purgantem[1], ignem exstinguendo, proposuerit. Quod posterius dogma in illis Clementis scriptis, quæ omnium judicio genuina judicantur, nusquam, ni fallor, reperitur, e contrario autem in libro illo, qui ἐκ τῶν Θεοδότου ἐπιτομαὶ inscribitur, exstat[2], unde suspicari fortasse liceat, non ipsius Clementis, sed sectæ gnosticæ doctrinam hic propositam esse. —

---

[1]) Ignem non solum cruciantem, sed purgantem quoque auctorem cogitasse, hicce locus argumento erit: "χωριστικὸν μὲν δυνάμει τὸ πνεῦμα, ἀναλωτικὸν δὲ τὸ πῦρ· πῦρ δὲ τὸ ὑλικὸν νοητέον. ... ἀντέθηκεν (ɔ: Χριστὸς) τῷ μὲν ἀσωμάτῳ τὸ πνεῦμα, λεπτὸν καὶ καθαρὸν σχεδὸν ὑπὲρ νοῦν, τῷ δὲ ὑλικῷ τὸ πῦρ, οὐ πονηρὸν οὐδὲ κακὸν ὑπάρχον, ἀλλ' ἰσχυρὸν καὶ κακοῦ καθαρτικόν. ἀγαθὴ γὰρ δύναμις τὸ πῦρ νοεῖται καὶ ἰσχυρὰ, φθαρτικὴ τῶν χειρόνων καὶ σωστικὴ τῶν ἀμεινόνων· διὸ καὶ φρόνιμον λέγεται παρὰ τοῖς προφήταις τοῦτο τὸ πῦρ." pag. 804.

[2]) "τοῦ πυρὸς τὸ μὲν σωματικὸν σωματῶν ἅπτεται πάντων, τὸ δὲ καθαρὸν καὶ ἀσώματον ἀσωματῶν φασὶν ἅπτεσθαι, οἷον δαιμόνων, ἀγγέλων τῆς πονηρίας, αὐτοῦ τοῦ διαβόλου. οὕτως ἐστὶ τὸ ἐπ' οὐρανὸν πῦρ διοσὸν τὴν φύσιν, τὸ μὲν νοητὸν, τὸ δὲ αἰσθητόν. καὶ τὸ βάπτισμα οὖν διπλοῦν ἀναλόγως· τὸ μὲν αἰσθητὸν δι' ὕδατος τοῦ αἰσθητοῦ πυρὸς σβεστήριον· τὸ δὲ νοητὸν διὰ πνεύματος τοῦ νοητοῦ πυρὸς ἀλεξητήριον κ. τ. λ." pag. 800. Notatu quoque dignissimum, quod in hocce libro primum perversæ istius sententiæ de magica aquæ consecratione vestigium invenitur; utrum autem suam ipsius, an hæreticæ sectæ doctrinam Clemens hic enunciaverit, difficillimum erit ad dijudicandum. Verba hæc sunt: "καὶ ὁ ἄρτος καὶ τὸ ἔλαιον ἁγιάζεται τῇ δυνάμει τοῦ ὀνόματος, οὐ τὰ αὐτὰ ὄντα κατὰ τὸ φαινόμενον οἷα ἐλήφθη, ἀλλὰ δυνάμει εἰς δύναμιν πνευματικὴν μεταβέβληται. οὕτως καὶ

Quum tamen *primum* hisce epitomis enunciationes ipsius Clementis ita immixtæ sint, ut difficillimum ad dijudicandum sit, quid ipsius doctrina, et quid ex Theodoto excerptum sit; *deinde* illa vera falsique confusio a solito Clementis sermone, ut supra demonstravimus, minime abhorreat, licet hocce loco major sit, quam ceteris antea laudatis locis; *denique*, scriptorem, quando explicare velit, *quomodo* fieri possit, ut baptismus tantas res efficere valeat, magis etiam, quam quum hanc baptismi vim nude affirmet, magicis ideis necessario involvi, per se intelligatur: diversitates, quas attuli, suspectum quidem locum laudatum reddere, minime vero, eum aut immerito Clementi tributum, aut hæreticæ opinionis recensionem esse, *demonstrare* possunt.

Clementem, quamvis perfectum baptismum totum hominis pectus purgare atque renovare, eoque ipso vim illius ad totam hujus vitam pertinere intelligeret, nihilo tamen secius putasse, remissionem, baptismo concessam, ad ea solummodo peccata, quæ ante baptismum commissa essent, pertinere, ex hocce ejus effato apparet: "ἀφίενται γοῦν πρὸς τοῦ Κυρίου αἱ πρὸ τῆς πίστεως, οὐχ ἵνα μὴ ὦσι γενόμεναι, ἀλλ' ὡς μὴ γενόμεναι. ..... ἰστέον μέν τοι, τοὺς μετὰ τὸ λουτρὸν τοῖς ἁμαρτήμασι περιπίπτοντας, τούτους εἶναι τοὺς παιδευομένους· τὰ μὲν γὰρ προενεργηθέντα ἀφείσθη· τὰ δὲ

τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ ἐξορκιζόμενον καὶ τὸ βάπτισμα γενόμενον, οὐ μόνον χωρεῖ τὸ χεῖρον, ἀλλὰ καὶ ἁγιασμὸν προσλαμβάνει." Ibid.

ἐπιγενόμενα ἐκκαθαίρεται."[1] Itaque concedit quidem, peccatorum, post baptismum commissorum, remissionem verâ poenitentiâ homines consequi posse; partim vero semel modo hoc fieri posse contendit[2], ut nec peccati nec poenitentiæ veram naturam percepisse videatur; partim hanc secundam poenitentiam non plenam prioris vim possidere, utpote quæ cum magico illo lavacro non sit conjuncta, putasse videtur. "Ὁ μὲν οὖν," inquit, "ἐξ ἐθνῶν καὶ τῆς προβιότητος ἐκείνης ἐπὶ τὴν πίστιν ὁρμήσας, ἅπαξ ἔτυχεν ἀφέσεως ἁμαρτιῶν· ὁ δὲ καὶ μετὰ ταῦτα ἁμαρτήσας, εἶτα μετανοῶν, κἂν συγγνώμης τύγχάνῃ, αἰδεῖσθαι ὀφείλει, μηκέτι λουόμενος εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν."[3]

Puriorem autem doctrinam in libro, qui "τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος" inscribitur, proponit; quo in libro narrat, juvenem quendam, qui, licet optimis ingenii dotibus instructus et usque ad baptismum diligentissime educatus et fidem Christianam edoctus esset, post baptismum tamen maxima et atrocissima peccata commisisset, verâ poenitentiâ plenam et perfectam remissionem consecutum esse, "ἀπολογούμενον ταῖς οἰμωγαῖς, ὡς ἐδύνατο, καὶ

---

1) Quod non de omnibus peccatis, sed de voluntariis solis Clemens hoc statuendo cogitaverit, ex Strom. lib. 2, pag. 387 apparet.

2) "Ἔδωκεν οὖν (ὁ Κύριος) ἄλλην ἐπὶ τοῖς κἂν τῇ πίστει περιπίπτουσί τινι πλημμελήματι, πολυέλεος ὢν, μετάνοιαν δευτέραν, ἵν', εἴ τις ἐκπειρασθείη μετὰ τὴν κλῆσιν, βιασθεὶς καὶ κατασοφισθεὶς, μίαν ἔτι μετάνοιαν ἀμετανόητον λάβῃ." Strom. lib. 2 pag. 385.

3) Ibid pag. 386.

τοῖς δάκρυσι βαπτιζόμενον ἐκ δευτέρου .... διδόντα μέγα παράδειγμα μετανοίας ἀληθινῆς καὶ μέγα γνώρισμα παλιγγενεσίας, τροπαῖον ἀναστάσεως ἐλπιζομένης"[1] — et disertis verbis hoc se narrasse ait, "ἵνα ἔτι θαῤῥῇς, οὕτω μετανοήσας ἀληθῶς, ὅτι σοὶ μένει σωτηρίας ἐλπὶς ἀξιόχρεως."

Baptismum hæreticum noster rejicit. "αὐτίκα," inquit, "ὁ εἰς αἵρεσιν ὑποπεσὼν, διέρχεται δι' ἐρημίας ἀνύδρου, τὸν ὄντως ὄντα θεὸν καταλιπὼν, ἔρημος θεοῦ, ὕδωρ ἄνυδρον ζητῶν, τὴν ἀοίκητον καὶ δίψιον ἐπερχόμενος γῆν ..... ""ἀλλὰ ἀποπήδησον (φησὶν ἡ γραφὴ): μὴ χρονίσῃς ἐν τῷ τόπῳ αὐτῆς."" τόπον τὴν συναγωγὴν, οὐχὶ δὲ ἐκκλησίαν ὁμωνύμως προσεῖπεν. εἶτα ἐπιφωνεῖ· ""οὕτω γὰρ διαβήσῃ ὕδωρ ἀλλότριον"" τὸ βάπτισμα τὸ αἱρετικὸν οὐκ οἰκεῖον καὶ γνήσιον ὕδωρ λογιζομένη. ""καὶ ὑπερβήσῃ ποταμὸν ἀλλότριον,"" τὸν παραφέροντα καὶ κατασύροντα εἰς θάλασσαν, εἰς ἣν ἐκδίδοται ὁ παρεκτραπεὶς ἐκ τῆς κατ' ἀλήθειαν ἑδραιότητος, συνεκρυεὶς αὖθις εἰς τὰ ἐθνικὰ καὶ ἄτακτα τοῦ βίου κύματα."[2] Quæ verba declarant quoque, causam, cur hunce baptismum rejiciat, esse perversam hæreticorum fidem atque vitam, quæ, ex sententia ejus, ita sint comparatæ, ut hæretici Christianæ ecclesiæ membra haud æstimandi sint, quam ob causam nec in huncce ecclesiam alios baptismo recipere possint.

---

1) Cap. 42, Pott. Notandum quoque, quod hoc loco verbo "παλιγγενεσία" non de baptismo, sed de vera regeneratione usus est.

2) Strom. lib. I pag. 217.

Ex verbis: "τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων"[1] — multi pædobaptismi argumentum petierunt; quum vero Clemens, habita τοῦ θείου παιδαγωγοῦ ratione, omnes Christianos παῖδας sæpissime appellet, quod ad pædobaptismum attinet, hæcce verba nil omnino probant.

Tertullianus.[2]

Diligenter excultam egregii hujus viri doctrinam de baptismi natura, vi, effectibus investiganti idem inter immediatam Christianam conscientiam et pravam superstitionem certamen, quod jam apud Clementem ceterosque invenimus, statim apparebit; simul vero Tertullianum hac in pugna plerisque illorum haud inficliciorem fuisse, non latebit. Quamvis enim tantum absit, ut istam superstitionem abjicere valuerit, ut ad eos, qui plurimum baptismati tribuerent, et constantiam superstitiosæ doctrinæ acerrime tuerentur, pertinuisse videatur: recta tamen immediata conscientia ductus, mystica dogmata, quæ ex illa progerminabant, semper pæne ita restrinxit, ut abominandæ eorum consequentiæ perniciosa sua vi maxima ex parte privatæ sint. Qua ipsa tamen de causa in systemate suo componendo, licet constantiæ servandæ operam daret,

---

[1]) Pædag. lib. 3 pag. 247. Cfr. Neand. K. G. vol. I pag. 364. in annot. et Matthies: baptismatis expositio bibl. hist. dogm. pag. 190.

[2]) Loci laud. ex secunda Rigaltii ed. — Lutetiæ 1641 — excerpti sunt.

interdum minus sibi constitit; quis vero dolebit, quod recta conscientia plus valuerit, quam prava ratio.

Splendidissimis igitur coloribus magicam baptismi vim depinxit, et in *aqua* ipsa eam inesse statuit. Aqua enim *tum per se præstantissima,* quippe quæ "antiqua substantia, gratior ceteris elementis, semper materia perfecta, læta, de suo pura" sit, "modulatrix quodammodo in dispositione mundi" fuerit, "prima, quod viveret, ediderit, ne mirum sit in baptismo, si aquæ animare noverunt; nam ipsius quoque hominis figulandi opus sociantibus aquis absolutum est"[1] — *tum per Dei spiritum,* "qui ab initio supervectabatur,"[2] *sanctificata ei videbatur;* etenim "ab eo, quod superferebatur, id, quod ferebat, sanctitatem mutuabatur; quoniam subjecta quæque materia ejus, quæ desuper imminet, qualitatem rapiat necesse est, maxime corporalis spiritalem et penetrare et insidere facilem per substantiæ suæ subtilitatem. *Ita de sancto sanctificata natura aquarum et ipsa sanctificare concepit.*"[3] Quod vero ipsis illis aquis, quæ tunc in primordio erant, non tinguimur, illius sententiâ nil ad rem facit; nam "genus idem," licet "species complures; quod autem generi attributum est, etiam in specie redundat. .... Igitur omnes

---

1) De bapt. cap. 3.

2) Ibid. cap. 4.

3) Ibid. Ceterum et Deum et spiritum Dei corporales esse, modo ceteris corporalibus rebus subtiliores, Tertullianum putasse notissimum est.

aquæ de pristina originis prærogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, *invocato Deo*; supervenit enim statim Spiritus de coelis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt."[1] Cui crassissimæ doctrinæ aliud dogma, æque crassum, repugnat; omnium enim primus communicationem Spiritus S. cum symbolo ejus, *manus impositione*, quæ post baptismum demum fiebat, Tertullianus confudit; quo factum est, ut non ipso baptismate, ut ex supra citatis putares, sed hocce ritu post baptisma peractum homines Spiritum S. consequi crederet. "Dehinc (ɔ: post baptismum) manus imponitur," inquit, "per benedictionem advocans et invitans Spiritum S. Sane humano ingenio licebit spiritum in aquam arcessere, et concorporationem eorum, accommodatis desuper manibus, alio spi-

1) Ibid. Ex verbis: "invocato Deo", ecclesiam jam eo tempore aquam per preces consecrasse, et hac consecratione Spiritus S. cum aqua conjunctionem effici credidisse, apparere videtur (Cfr. Münteri: "primordia ecclesiæ Africanæ", pag. 100). Si tamen hocce effatum cum infra citatis, ubi manus impositio demum et benedictio, cum ea conjuncta, Spiritum S. de coelo deducere dicitur, comparamus, haud plane incredibile videtur, Tertullianum jam his verbis: "invocato Deo" ad illam benedictionem respexisse, ut, post "consequuntur" majore interpunctionis signo posito, verba laudata cum "supervenit enim" conjungenda sint. Etiamsi vero hoc statuerimus, contradictio, infra in textu commemoranda, haud plane solvetur, compluribus enim aliis locis sanctificandi vim ipsi aquæ Tertullianum tribuisse, jam supra vidimus.

ritu tantæ claritatis animare; Deo autem in suo organo non licebit *per manus sanctas* sublimitatem modulari spiritalem?[1] ...... Tunc (ↄ: manu imposita) ille sanctissimus spiritus super emundata et benedicta corpora libens a Patre descendit, super baptismi aquas, tamquam pristinam sedem recognoscens, conquiescit."[2] Ut hancce contradictionem inter utrumque magicum dogma noster removeat, *angelum baptismi* fingit, quem in aqua efficacem esse statuit, quo *præparatoriam* vim aqua consequatur. Ideo "aquas medicari quodammodo," ait, "per angeli interventum;"[3] et postquam, immundos quoque spiritus aquis sæpissime incubare, "adfectantes illam in primordio divini

---

[1]) Ut mira hancce comparatio, quæ aperte demonstret, ex opinione Tertulliani manus impositionem theurgicum ritum esse, qui magica vi Spiritum S. de coelis descendere faciat, melius intelligatur, annotationem Augusti ad hunc locum afferam: "Diese schwere Stelle erhält nur dann einen erträglichen Sinn, wenn man dabey an die heidnischen Wasser-Beschwörungen und Hydromantien denket. Vom römischen Könige Numa Pompilius erzählt Augustinus (de civit. Dei lib. VII, c. 35): Hydromantiam facere compulsus est, ut in aqua videret imagines deorum vel potius ludificationes dæmonum, a quibus audiret, quid in sacris constituere et observare deberet. Der "Spiritus" ist der Dæmon, welcher ins Wasser gezaubert wird; und unter der "concorporatio eorum" ist wohl nichts anders zu verstehen, als: intima conjunctio aquæ et spiritus s. dæmonis." Denkw. vol. VII, pag. 82.

[2]) De bapt. cap. 8.

[3]) Ibid. cap. 4.

spiritus gestationem,"[1] affirmavit: "ne quis," inquit, "durius credat, angelum Dei sanctum aquis in salutem hominis temperandis adesse, cum angelus malus prophanum commercium ejusdem elementi in perniciem hominis frequentet. Angelum aquis intervenire si novum videtur, exemplum futuri præcucurrit. Piscinam Bethsaïdam angelus interveniens commovebat. ..... Figura ista medicinæ corporalis spiritalem medicinam canebat, ea forma, qua semper carnalia in figura spiritalium antecedunt. Proficiente igitur hominibus gratia Dei, plus aquis et angelo accessit. Qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur, qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant, qui unum semel anno liberabant, nunc quotidie populos conservant. .... *Non quod in aquis Spiritum S. consequamur, sed in aqua emundati sub angelo Spiritui S. præparamur.* Hic quoque figura præcessit. Sic enim Johannes ante præcursor Domini fuit, præparans vias ejus; ita et angelus, baptismi arbiter, superventuro Spiritui S. vias dirigit."[2] Quum ita spiritualem regenerationem, re ipsa unam atque individuam, in duas partes, re vera sejunctas, dividere conatus sit, non multum abest, quin in plures etiam partes eam diffindat, ut suam cui-

---

[1]) Ibid. cap. 5.

[2]) Ibid. capp. 5-6. Huic dogmati de angelo baptismi respondet illud de angelo orationis (de orat. cap. 12). Augusti dogma quoque Judaïcum de Elia, invisibili circumcisionis teste, cum hocce comparat. Denkw. vol. VII, pag. 324.

que ritui magicam vim vindicet. "Caro abluitur," inquit, "*ut* anima emaculetur; caro ungitur, *ut* anima consecretur; caro signatur, *ut* anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, *ut* anima Spiritu illuminetur."[1] Hoc tamen obiter, et hi omnes ritus ex sententia Tertulliani *unum* opus efficiebant, ut ne tum quidem, quum laïci baptisma administrassent, manus impositionem sive confirmationem sejungendam esse et ab episcopo administrandam postulet."[2]

Tertullianus ergo, ut ex omnibus supra dictis apparet, externo baptismo magicas ad homines spiritualiter regenerandos vires adscribit, quam ob rem quoque nos "pisciculos", qui "secundum ἰχθὺν nostrum in aqua nascimur,"[3] appellat; jam autem vera Christiana conscientia, cum damno quidem constantiæ mystici illius dogmatis, viam sibi facit, qua ductus auctor noster postulat, ut cum externo hocce baptismo *internum cordis lavacrum*, idque non illo magice procreatum, sed metu Dei et poenitentia et fide jam antea effectum, intime conjunctum sit. "Non ideo," inquit, "abluimur, ut delinquere desinamus, sed quia desiimus, quoniam

---

1) De resurr. carnis, cap. 8.

2) De bapt. cap. 17.

3) Ibid. cap. 1. Verbum "ἰχθύς" secundum Optatum significat: "Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ Υἱός, Σωτήρ" — et Augustinus in libro de civit. Dei. lib. 18, cap. 28 "in hocce nomine," ait, "mystice intelligi Christum, eo quod in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate, vivus h. e. sine peccato esse potuerit." Augusti Denkw. vol. VII, pag. 79.

jam corde loti sumus. Hæc enim prima audientis intinctio est metus integer, exinde, quoad dominum senseris, fides sana, conscientia semel poenitentiam amplexata."[1] Quamvis igitur, superstitioso suo systemate coactus, omnia bona, quæ spirituali regeneratione in hominum animis procreentur, quum negativa, purgationem a peccatis peccatorumque remissionem, tum positiva, spiritualem cum Patre, Filio, Spiritu S. communionem æternæque salutis consecutionem, magico illo baptismate effici dicat, veram tamen poenitentiam et fidem necessarias horum omnium conditiones, quin etiam effectrices esse, disertissime sæpe affirmat.

Ex sententia igitur ejus baptismus, "felix sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur,"[2] a peccatis quidem, reatu, poena nos vindicat; ejus enim "carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritalis effectus, quod delictis liberamur;"[3] ut hæ aquæ "salutem æternam reforment .... deleta morte per ablutionem delictorum; exempto scilicet reatu eximitur et poena;"[4] proprie autem *poenitentia,* quam baptismo Deus "præire jussit, ut, quos per gratiam vocaret ad promissionem, semini Abrahami destinatam, per poenitentiæ subsignationem ante componeret,"[5] *vera et purgationis et*

---

[1]) De poen. cap. 6.

[2]) De bapt. cap. 1.

[3]) Ibid. cap. 7.

[4]) Ibid.

[5]) De poen. cap. 2.

remissionis effectrix est; ea enim "purgandis mentibus præposita est, ut, quidquid error vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id poenitentia verrens et radens et foras abjiciens mundam pectoris domum superventuro Spiritui S. paret, quo se ille cum coelestibus donis libens inferat. Horum bonorum unus est titulus, salus hominum, criminum pristinorum abolitione præmissa."[1] — Quam ob rem quoque summo cum ardore contra eos noster pugnat, qui, remissionem baptismo magice sibi comparari credentes, aut veram poenitentiam omnino negligerent, aut post baptismum demum a peccatis sibi abstinendum putarent, et, "certi indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furarentur."[2] — "Quam porro ineptum," inquit, "quam iniquum, poenitentiam non adimplere et veniam delictorum sustinere? Hoc est, pretium non exhibere et ad mercem manum extendere. Hoc enim pretio Deus veniam addicere instituit, hac poenitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo, qui venditant, prius nummum, quo paciscuntur, examinant, ne scalptus, neve rasus, ne adulter, etiam Dominum credimus poenitentiæ probationem prius inire, tantam nobis mercedem, scilicet perennis vitæ, concessurum."[3] Quum tamen sententia istorum, licet immediatæ Tertulliani conscientiæ omnino repugnaret, cum ipsius doctrina de

---

1) De poen. cap. 2. Cfr. cap. 4.

2) Ibid. cap. 6.

3) Ibid.

magica baptismi vi bene consentiret; pravo systemate suo ductus, eam absolute falsam judicare non ausus est; post complures vero eosque infelices hujus difficultatis solvendæ conatus ad *dogma de baptismi jactura* confugit, gratiamque baptismi, quum a Deo, qui talibus eam invitus concesserit, non custodiatur, facillime amitti contendit. "*Neque ego renuo,*" inquit, "*divinum beneficium, i. e. abolitionem delictorum, inituris aquam omnimodo salvum esse;* sed ut eo pervenire contingat elaborandum est. Quis enim tibi, tam infidæ poenitentiæ viro, asperginem unam cujuslibet aquæ commodabit? Furto quidem aggredi et propositum hujus rei asseverationibus tuis circumduci facile est; sed Deus thesauro suo providet, nec sinit obrepere indignos. Quid denique ait? Nihil occultum, quod non revelabitur; quantascunque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est. Quidam autem sic opinantur, quasi Deus necesse habeat præstare etiam indignis, quod spopondit, et liberalitatem ejus faciunt servitutem. *Quodsi necessitate nobis symbolum mortis indulget, ergo invitus facit. Quis enim permittit permansurum id, quod tribuerit invitus? non enim multi postea excidunt? non a multis donum illud aufertur? Hi sunt scilicet, qui obrepunt, qui, poenitentiæ fidem aggressi, super arenas domum ruituram collocant.*"[1]

---

[1]) Ibid. Clar. Neander ("Antignosticus, Geist des Tertullianus" — pag. 217 in ann.) Tertullianum scripsisse conjicit: "Quod si necessitate, ergo invitus facit, symbolum

Intimam esse inter poenitentiam et fidem, "quæ fides a poenitentiæ fide incipitur et commendatur,"[1] conjunctionem intelligens, et mutuam utriusque reactionem agnoscens[2], eandem hominum purgandorum vim, quam poenitentiæ adscripsit, fidei quoque summo jure tribuit, ablutionemque delictorum "fidem impetrare" ait, "obsignatam in Patre et Filio et Spiritu S."[3] In *fide* ergo ex illius sententia positum est, utrum baptizatus salvus fiat,

---

mortis nobis indulget" — quæ verba ita vertit: "Aber wenn er es nothgedrungen, also gegen seinen Willen thut, so giebt er uns statt eines Zeichens zum Leben, ein Zeichen zum Tode." Cui tamen acutissimæ conjecturæ et antecedentia, ubi disertis verbis salvificam vim sub omnibus conditionibus baptismati Tertullianus vindicat, et sequentia, ubi de amissione baptismi, nec de plane opposita ejus efficacitate verba facit, repugnant. Tertullianus quidem, ut Neander observat, "Quis vero" pro "Quis enim" scribere debuisse videtur; sed ante "Quis enim", ni fallor, sententia subintelligenda est, quæ edicat, gratiam ab invito concessam caducam esse nulliusque firmitatis. Quo posito, omnia bene cohærent. Ceterum, missis ambagibus, in cap. 5 uno ictu Herculaneum huncce nodum disscindit, quum "qui salvo metu peccent, salva venia in gehennam detrudi" ait.

[1]) De poen. cap. 6.

[2]) Ex verbis nuper allatis, cum hisce effatis: "poenitentiæ stimulus ex fide" — "poenitentia ex fide justificata" (adv. Marc. lib. 4 cap. 18) comparatis, luce clarius fit, Tertullianum intellexisse, poenitentiam non sine ulla fide procreari posse, perfectam autem fidem et ipsam hac poenitentia vires assummere, et eam demum plane perficere. Cfr. doctrinam Clementis, pag. 56.

[3]) De bapt. cap. 6.

neene; nam "vera et stabilis fides aqua tinguitur in salutem, simulata autem et infirma igni tinguitur in judicium."[1] Qui quum baptismus ita interna poenitentia et fide delicta hominis abluat, remissionemque ei comparet, eo quoque "restituitur homo Deo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat (ɔ: Christus); ... recipit enim illum Dei spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum;"[2] eoque ipso, Chri-

---

1) De bapt. cap. 10.

2) Ibid. cap. 5. Quod ceterum celsiorem facultatem, qua Spiritus S. efficacitatem percipiat homo, peccato non omnino amissam, sed solummodo penitus obumbratam cogitaverit noster, ex pulcherrimo hocce effato, quod, quum perfecti quoque baptismi vim describat, totum pæne afferam, aperte illucet: "Naturæ corruptio alia natura est, habens suum deum et patrem, ipsum scilicet corruptionis auctorem; ut tamen insit et bonum animæ, illud principale, illud divinum atque germanum et proprie naturale. *Quod enim a Deo est, non tam exstinguitur, quam obumbratur; potest enim obumbrari, quia non est Deus; exstingui non potest, quia a Deo est.* Itaque sicut lumen, aliquo obstaculo impeditum, manet, sed non comparet, si tanta densitas obstaculi fuerit; ita et bonum in anima a malo oppressum, pro qualitate ejus aut in totum vacat, aut, qua datur, radiat, inventa libertate. Sic pessimi et optimi quidam, et nihilominus unum omnes animæ genus. *Sic et in pessimis aliquid boni, et in optimis nonnihil pessimi.* .... Proinde cum ad fidem pervenit (ɔ: anima), reformata per secundam nativitatem ex aqua et superna virtute, detracto corruptionis pristinæ aulæo, totam lucem suam conspicit. Excipitur etiam a Spiritu S., sicut in pristina nativitate a spiritu profano. Sequitur animam, nubentem Spiritui, caro, ut dotale mancipium, et jam

stum baptismo induens, verus Dei sacerdos fit; nam "nos Christus, summus sacerdos et magnus Patris, de suo vestiens, quia, qui in Christo tinguuntur, Christum induerunt, sacerdotes Deo, patri suo, fecit."[1] Quin vero hos positivos baptismi effectus æque ac illos negativos subjectivis supra laudatis conditionibus, poenitentia et fide, obstrictos Tertullianus cogitaverit, non dubitari potest; præterquam enim quod tam arcte conjuncti sunt, ut horum conditionibus illi quoque necessario obstricti sint; mirum sane esset, si majus quidem absque conditionibus, minus vero solummodo hypothetice baptisma tribuere putasset. Imo eo usque progreditur, ut baptisma per se spectatum solummodo "obsignationem fidei[2], vestimentum quodammodo fidei"[3] appellet, et novam vitam "*per* baptisma" quidem, sed "*ex* fide" esse affirmet[4].

Quibus omnibus recte perpensis, concedamus necesse est, veram conscientiam de prava ratione victoriam magna ex parte reportasse, cum damno tamen constantiæ dogmatis; quas enim regenerandi vires externo baptismo prius tribuit, easdem postea, ut nuper vidimus, ei detraxit, atque poenitentiæ

---

non animæ famula, sed Spiritus, O beatum connubium, si non admiserit adulterium!" (De anima cap. 41.) Quæ pulcherrima doctrina cum Clementis, pag. 48 allata, intime consentit.

1) De monogamia, cap. 7.

2) De poen. cap. 6.

3) De bapt. cap. 13.

4) De resurr. carnis, cap 47.

et fidei adscripsit. Quodsi poenitentiam et fidem necessarias modo subjectivas conditiones posuisset, ipsas autem regenerandi vires baptismati constanter tribuisset, totum dogma melius sibi constaret; quum vero, recta conscientia ductus, ipsam efficacem vim spiritualibus internæ vitæ actibus sæpius tribuat, semper vacillat.

Ut Irenæus nec non Clemens Alexandrinus in eclogis prophetarum, ita hic quoque non solum *animum* hominis, sed *corpus* etiam baptismo regenerari credit[1], id quod cum doctrina nuper proposita, regenerationem nimirum et sensualibus et spiritualibus rebus fieri, absque dubio cohæret. Attamen non tam distincte, quam Irenæus, animi regenerationem Spiritui, qui perfecto baptismo cum hominibus se communicat, corporis autem aquæ adscribit; licet enim hocce in effato: "Quæ (o: resurrectio) nisi corporalis esset, non alias baptismate corporali obligaretur; .... *anima enim non lavatione, sed responsione sancitur*"[2] — doctrina, Irenæi similis, inesse videatur; complures tamen enunciationes, supra laudatæ, inprimis vero hæcce: "Medicatis quodammodo aquis per angeli interventum, *et spiritus in aquis corporaliter diluitur, et*

---

[1]) Christum "munditias suas aquis tradidisse" ait. "Exinde," inquit, "caro, quæcumque in Christo reliquas sordes pristinas solvit, alia jam res est, nova emergit, jam non ex seminis limo, non ex concupiscentiæ fimo, sed ex aqua pura et spiritu mundo." De pudic. cap. 6.

[2]) De resurr. carn. cap. 48.

caro in iisdem spiritaliter mundatur"[1] — huic sententiæ obstant.

Quæ venia baptismo peccatoribus concedatur, eam ad sola ante baptismum commissa peccata pertinere credit, gratiamque baptismi, magnis post eum commissis delictis, amitti docet[2]. Quam vero de recuperatione ejus, antequam ad *Montanismum* transiit, sententiam habuit, eam post transitum mutavit. Adhuc enim ecclesiæ catholicæ addictus, summo quidem ardore peccatum damnabat, peccatori autem spem absolutionis ecclesiæ obtinendæ haud plane detrahebat; imo veram poenitentiam, quæ prius *baptismate* remissionem homini comparasset, etiam *sine baptismate* secunda vice veniam consequi posse docebat; sin vero quis post hanc "secundam poenitentiam" rursus peccasset, salutem ei sperandam esse negabat. "Deus," inquit, "clausa licet ignoscentiæ janua et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat; sed jam semel, quia jam secundo; sed amplius nunquam, quia proxime frustra. Non enim et hoc semel satis est? Habes, quod jam merebaris; amisisti enim, quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat, unde restituas, quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, nedum ampliato; majus est enim restituere, quam dare; quoniam miserius est perdidisse, quam omnino non accepisse. Verum non

---

1) De bapt. cap. 4.

2) Ibid. capp. 8 & 15. De poen. cap. 6. De pudic. cap. 18.

statim subruendus est animus desperatione, si secundæ quis poenitentiæ debitor fuerit; pigeat sane peccare rursus, sed rursus poenitere non pigeat; pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat iteratæ valetudinis; iteranda medicina est. Gratus in dominum exstiteris, si, quod tibi Dominus offert, non recusaveris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes, cui satisfacias, et quidem volentem."[1] Externam quidem secundæ hujus poenitentiæ formam magni facit[2], sed confusionis internæ poenitentiæ coram Deo cum satisfactione ecclesiastica non accusandus est; hanc enim solummodo commendat, "quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur."[3] Postquam autem assecla Montani factus est, secundum sectæ hujus axioma, quod ecclesia visibilis pura et sancta servari possit et debeat, quicunque post baptismum idololatriam vel adulterium vel homicidium[4] commiserit, unquam in ecclesiam

---

1) De poen. cap. 7.

2) Ibid. cap. 9.

3) Ibid.

4) Inter remissibilia et irremissibilia delicta distinguens, ad posteriora pertinere ait sola tria hæcce genera; quod enim in edicto apostolorum (Act. 15, 29) verbum "αἷμα" occurrit, homicidium significare putat. "Quum primum," inquit, "intonuit evangelium et vetera concussit, ut de legis retinendæ necne statu disceptaretur, primam hanc regulam de auctoritate Spiritus S. apostoli emittunt ad eos, qui jam ex nationibus allegi cæperant — aff. Act cap. 15 v. 28-29 — Sufficit et hic servatum esse moechiæ

rursus recipi posse negat. "Quanto," inquit, "delicta ista ante lavacrum accepto facit, tanto post lavacrum irremissibilia constituit; *siquidem denuo ablui non licet*"[1] — et alio loco, "hominem," ait, "qui, post baptisma . . . . reformatus, denuo resumat scabra et maculas carnis, abjici extra civitatem in locum immundum, deditum scilicet Satanæ in carnis interitum, nec amplius reædificari in ecclesia post ruinam."[2] Ne putes tamen, eum omnem spem peccatori adimere; solummodo eum in ecclesiam rursus recipi et ab ea remissionem accipere posse negat. Catholicis igitur, qui ei objiciebant, secundum doctrinam Montani poenitentiam a tali peccatore frustra agi, respondit: "Quantum ad nos, qui solum Dominum meminimus delicta concedere, *et utique mortalia*, non frustra agetur. Ad Dominum enim remissa et illi exinde prostrata (ɔ: poenitentia) hoc ipso magis operabitur veniam, quod eam a solo Deo exorat, quod delicto suo humanam pacem sufficere non credit, quod ecclesiæ mavult erubescere, quam communicare. . . .

---

et fornicationi locum honoris sui inter idololatriam et homicidium, interdictum enim sanguinis multo magis humani intelligimus. Porro qualia videri voluit apostoli crimina, quæ sola in observatione de lege pristina excerpunt, quæ sola necessario abstinenda præscribunt? Non quod alia permittant, sed quod hæc sola proponant, utique non remissibilia, qui ethnicorum causa cetera legis onera remissibilia fecerunt." De pudic. cap. 12, cfr. cap. 19.

[1]) Ibid. cap. 16.

[2]) Ibid. cap. 20. Concedit quidem, ecclesiam hæc delicta condonare *posse*, simul vero negat eam *velle*. ib. c. 21.

Si pacem hic non metit, apud Dominum seminat; nec amittit, sed præparat fructum; non vacabit ab emolumento, si non vacaverit ab officio. Ita nec poenitentia hujusmodi vana, nec disciplina ejusmodi dura est."[1] — Unum tamen esse remedium, quo scelestissimus quoque peccator certam delictorum remissionem sibi comparare possit, *martyrium* scilicet (quod omnium primus, ni fallor, nomine *secundi baptismi sive sanguinis baptismi* ornavit), semper docet. "Est quidem," inquit, "nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus, ""habeo,"" inquit, ""baptismo tingui,"" quum jam tinctus fuisset. Venerat enim per aquam et sanguinem, sicut Iohannes scripsit, ut aqua tingueretur, sanguine glorificaretur, proinde nos faceret aqua vocatos, sanguine electos. Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quatenus, qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur, qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent. *Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repræsentat et perditum reddit.*"[2] Eademque in sententia post transitum

---

1) Ibid. cap. 8.

2) De bapt. cap. 16. Quamvis verba: "sanguinem potarent," potius ad coenam sacram, quam ad martyrium respicere videantur; ex tota tamen Tertulliani doctrina et ex hoc ipso loco, ubi solummodo de baptismate, proprie sic dicto, et de martyrio sermo est, apparet, verum vidisse Rigaltium, qui in observationibus suis, "hoc loco", inquiat, "agitur de duplici baptismo aquæ et sanguinis. Utrumque autem de vulnere perfossi lateris fluxisse ait

ad Montanistas est; nam in libro de pudicitia, "ejusmodi crimina," inquit, "(mortalia sive irremissibilia) non nisi proprio martyrio diluenda. . . . Quod si est, jam et martyrium aliud erit baptisma. . . . Unde et ex vulnere perfossi lateris Dominici aqua et sanguis, utriusque lavacri paratura, manavit." [1]

Quum igitur peccatorum remissionem externo operi, vel baptismati vel satisfactioni ecclesiasticæ vel martyrio, necessario pæne obstrictam putet, eamque, semel amissam, tam difficile recuperari posse credat, totus est in suadendo, ne quis ad baptismum accipiendum nimis festinet. [2] Imprimis *pædobaptismum* rejicit, quum infantes summum hocce bonum, quo "innocens ætas" [3] nondum indigeat, et cujus pretium nondum cognoscat, tam facile amittere possint. Qua in re magno pietatis ejus argumento est, quod tam severe postulat, ut cognitio Christi et desiderium salutis baptismum antecedat. "Pro cujusque personæ," inquit, "condi-

---

Septimius, ut, qui in sanguinem Christi credimus, ejus aqua lavemus, tamque salutaris aquæ beneficio abluti, etiam *calicem martyrii* pro Christi nomine, quoties occasio inciderit, bibamus intrepide et constanter. Hunc enim esse tam efficacem baptismum, ut lavacrum et non acceptum repræsentet et perditum reddat. Quæ haud dubie sunt intelligenda de martyrio."

¹) Cap. 22.

²) De poen. cap. 6.

³) Quonam modo hanc sententiam cum doctrina de peccato originali et traduce animæ conjunxerit, difficillimum erit ad explicandum.

tione ac dispositione etiam ætate cunctatio baptismi utilior est, præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, et sponsores periculo ingeri? quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt et proventu malæ indolis falli. *Ait quidem Dominus:* "*"Nolite illos prohibere ad me venire;*"" *veniant ergo, dum adolescunt; veniant, dum discunt, dum, quo veniant, docentur; fiant Christiani, quum Christum nosse potuerint.* Quid festinat *innocens ætas* ad remissionem peccatorum? Cautius agetur in secularibus, ut, cui substantia terrena non creditur, divina credatur. Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris. Non minore de causa innupti quoque procrastinandi (*sic*), in quibus tentatio præparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vacationem, donec aut nubant, aut continentiæ corroborentur. Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem; *fides integra secura est de salute.*"[1] *Pe-*

---

1) De bapt. cap. 18. Ultima hæcce verba ambigui sensus sunt; quamquam enim cl. Neander ("Antignosticus" pag. 210) aliique ea significare putant, catechumenum etiam, ante baptismum mortuum, mera sua fide salvum fieri posse, æque bene hanc admittunt explicationem: ea de causa magis timendam esse consecutionem baptismi, quam dilationem, quia *tum solummodo* baptizatus re vera confidere possit, se baptismo salutem consecutum esse, quum fidem integram possideat; quæ sententia cum toto Tertulliani systemate, utpote quod re ipsa fidem et baptisma æque necessaria æstimet, bene consentit. Vide infra pagg. 85-86.

riculo tamen mortis imminente, baptisma absque hæsitatione impertiendum putare videtur; de jure enim baptismi administrandi, laicis concesso, "sufficiat," inquit, .. "in necessitatibus utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, quum urget circumstantia periclitantis; quoniam reus erit perditi hominis, qui supersederit præstare, quod libere potuit."[1]

De aliis nonnullis ad dogma baptismi pertinentibus quæstionibus, utrum scilicet apostoli baptizati fuerint, necne; utrum baptismus Johannis et is quoque, qui a discipulis Christi, ipso adhuc his in terris degente, administraretur, verus fuerit baptismus, necne, optime noster disputavit. Quod ad primam quæstionem attinet, quamvis animus ipsius ad eam affirmandam inclinet, in medio tamen eam relinquit; acutissime autem hæcce addit: "Sive tincti quoquo modo fuerunt, sive inloti perseveraverunt ... de salute tamen apostolorum satis temerarium est æstimare, quia non *illis vel primæ adlectionis et exinde individuæ familiaritatis prærogativa compendium baptismi conferre posset*, quum illi, opinor, sequebantur illum, qui credenti cuique salutem pollicebatur. ""Fides tua te,"" ajebat, ""salvum fecit,"" et, ""Remittuntur tibi peccata."" Credenti utique non tamen tincto. Id si apostolis defuit, nescio, quorum fides, uno verbo Domini suscitata, teloneum dereliquit, patrem et navem et artem, qua vitam sustentabat, deseruit, patris exe-

---

1) De bapt. cap. 17.

quias despexit, summum illud Domini præceptum: ""Qui patrem aut matrem mihi prætulerit, non est me dignus,"" ante perfecit, quam audivit."[1] Electio igitur Christi, ex ejus sententia, apostolis loco baptismi fuit, et fide ipsorum hic electionis baptismus vera regeneratio facta est.[2] — Dolendum sane, quod hanc doctrinam de sufficientia fidei ad salutem comparandam non ad omnes extendit; tota autem ratione sua impeditus, et objectionibus quoque eorum, qui baptismum contemnerent[3], commotus, plane oppositum docuit. "Præscribitur," inquit, "*nemini sine baptismo competere salutem*, ex illa maxime pronunciatione Domini, qui ait: ""Nisi natus *ex aqua* quis erit, non habet vitam.""[4] Postquam deinde acutam adversariorum objectionem ita recitavit: "quum Paulus solus ex apostolis baptismum Christi induerit, *aut* præjudicatum esse de ceterorum periculo, qui careant aqua Christi, ut præscriptio salva sit; *aut* rescindi præscriptionem, si etiam non tinctis salus statuta est"[5]; hujus objectionis *prius* membrum, ut supra vidimus, ad electionem Christi fidemque ipsorum apostolorum respiciendo, *posterius* autem crassissima argumentatione de necessitate sacramenti ob *fidem auctam* refutare conatur. "Fuerit," inquit, "salus retro per fidem nudam ante Domini

---

¹) Ibid. cap. 12.
²) Cfr. Schleiermacher: Der chrl. Glaube vol. II p. 398.
³) Vide Neand. "Antignost." pag. 193 sqq.
⁴) De bapt. cap. 12.
⁵) Ibid.

assionem et resurrectionem; at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, resurrectionemque ejus, addita est ampliatio sacramento, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec potest jam sine sua lege. Lex enim tinguendi imposita est et forma præscripta. ""Ite,"" inquit, ""docete nationes, tinguentes eas in nomen Patris & Filii & Spiritus S."" Huic legi collata definitio illa: ""Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum coelorum"" — *obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem.*"[1] Minime igitur in dubium vocari protest, quin absolutam baptismi ad salutem necessitatem probaverit, quamobrem quoque, ut supra vidimus, reum esse perditi hominis, ait, qui eum moribundum baptizare abnuerit. Duo quidem effata inveni, quæ oppositam sententiam tueri videantur, *alterum* supra laudatum: "Fides integra secura est de salute," quod tamen alio quoque modo explicari posse supra demonstravi, *alterum* hocce: "An alius est intinctis Christus, alius audientibus? num spes alia vel merces? alia formido judicii, alia necessitas poenitentiæ?"[2] Hæc autem non attulit noster, ut exinde demonstret, non-baptizatis quoque salutem paratam esse, solummodo autem ut probet, catechumenis haud magis quam ceteris licere in peccatis perseverare. Quum igitur perversam istam doctrinam tam disertis verbis propo-

---

1) De bapt. cap. 13.
2) De poen. cap. 6.

suerit, ob hæcce ambigua effata illâ culpâ eum absolvere minime audeo.

De baptismo Iohannis, "nos porro," inquit, "quantula fide sumus, tantulo et intellectu possumus æstimare, divinum quidem eum baptismum fuisse, mandatu tamen, non et potestate, quod et Johannem a Domino missum legimus, ceterum humanum conditione. Nihil enim coeleste præstabat, sed coelestibus præministrabat, poenitentiæ scilicet præpositus, quæ est in hominis potestate. . . . . Quodsi poenitentia humanum est, et baptismus ipsius ejusdem conditionis fuerit, necesse est: aut daret et Spiritum S. et remissionem delictorum, si coelestis fuisset; sed neque peccatum dimittit, neque Spiritum indulget, nisi Deus solus. . . . . Agebatur itaque baptismus poenitentiæ, quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturæ. Nam quod prædicabat baptismum poenitentiæ in remissionem, in futuram remissionem enunciatum; siquidem poenitentia antecedit, remissio subsequitur, et hoc est viam præparare. Qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat." [1] Bene igitur intellexit, baptismum Johannis præparatorium modo actum fuisse, qui homines, dum ad poenitentiam eos obligaret, ad Christum duceret, minime vero ipse in coetum Christi eos reciperet, et spiritualium donorum, ex hocce hominibus redundantium, participes redderet. — Quod ad tertiam tandem quæstionem attinet, idem bene intellexit, baptismum discipulorum æque

---

[1]) De bapt. cap. 10.

ac Johannis præparatorium modo fuisse, licet, quæ hujus rei argumenta afferat, superstitiosa videantur. "Tinguebant discipuli ejus," inquit, "ut ministri, ut Johannes ante præcursor, eodem baptismo Johannis; ne qui alio putet, quia nec exstat alius, nisi postea Christi, qui tunc utique a discentibus dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria Domini, *nec instructa efficacia lavacri per passionem et resurrectionem;* quia nec mors nostra dissolvi posset, nisi Domini passione, nec vita restitui sine resurrectione ipsius."[1]

Quamquam titulus *summi sacerdotis*, episcopis a Tertulliano inditus, spiritualis Christiani sacerdotii cum Judaico confusionem adumbrare videtur, illud tamen summo studio defendens, quemcunque virum Christianum baptismum conferre posse docet; idem vero ordinem in ecclesia servandum esse prudenter monet. "Dandi quidem," inquit, "habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est. *Alioquin etiam laicis jus est;* quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest. Nisi episcopi jam, aut presbyteri, aut diaconi vocantur, discentes. Domini sermo non debet abscondi ab ullo. Proinde et baptismus, æque Dei census,[2] ab omnibus exerceri potest. Sed quanto magis laicis disciplina verecundiæ et modestiæ

---

1) De bapt. cap. 11.

2) "Der von Tertull. gebrauchte Ausdruck: Census Dei ist nicht unpassend, weil nach der römischen Verfassung

incumbit, cum ea majoribus competant, ne sibi adsumant dicatum episcopis officium episcopatus? Æmulatio schismatum mater est. Omnia licere dixit sanctus apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris"[1] — et alio loco, "nonne" inquit, "et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et patri suo fecit. Differentiam inter ordinem et plebem constituit ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. *Adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis et sacerdos es tibi solus.*"[2] In eo tamen hujus sacerdotii jus inique circumscripsit, quod *mulieribus* Christianis baptismi administratione plane interdixit. "Petulantia autem mulieris," inquit, "quæ usurpavit docere, utique non etiam tinguendi jus sibi pariet; nisi si quæ nova bestia evenerit similis pristinæ,[3] ut quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat..... Quam enim fidei proximum videretur, ut is (Paulus) docendi et tinguendi daret feminæ potestatem, qui ne discere quidem constanter mulieri permisit."[4]

---

der Census sowohl *die Eintragung in die Bürgerrolle* als auch der Vermögen bedeutet — was beides auf die Taufe gut angewendet werden konnte." Aug. Denkw. vol. VII pag. 23.

1) De bapt. cap. 17.

2) De exhort. cast. cap. 7.

3) Vid. Neand. Antign. pag. 193 sqq.

4) De bapt. cap. 17.

Quod ad *hæreticorum* denique baptismum attinet, plane eum rejicit noster. "Unus omnino baptismus," inquit, "est nobis, tam ex domini evangelio, quam ex apostoli litteris; quoniam unus Deus et unum baptisma et una ecclesia in coelis. Sed circa hæreticos sane, quid custodiendum sit, digne quis retractet, ad nos enim editum est. Hæretici autem nullam habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. . . . . . Non idem Deus nobis et illis, nec unus Christus i. e. idem, ideoque nec baptismus unus, quia non idem; quem cum rite non habeant, absque dubio non habent. Sed de isto plenius jam nobis in Græco digestum est"—[1] et alio loco evidentius etiam, "apud nos," inquit, "ut ethnico par, imo et super ethnicum hæreticus etiam per baptisma veritatis utroque homine purgatus admittitur."[2]

[1]) De bapt. cap. 15. Græcum hocce opus amissum esse, notissimum est.

[2]) De pudic. cap. 19. Mirandum est, quod Augusti (Denkw. vol. VII pag. 364) Tertullianum, ait, baptismum Marcionis ratum habuisse; nam *et* quæ Tertulliani verba supra attulimus, non eundem Deum catholicis et hæreticis esse, ideoque nec eundem baptismum, ex sententia ipsius in Marcionem et asseclas ejus, qui Deum summum a Demiurgo distinguerent, plane quadrant, *et* disertis verbis (de præscr. hæretic. cap. 37) de Marcionitis, "eos Christianos esse non posse", ait. Quod autem ad locos (adv. Marc. lib. I, capp. 14 & 28), ab Aug. argumenti instar allatos, attinet, plane, ni fallor, apparet, Tertullianum ibi ex concessis disputasse, ut inconstantiam et stultitiam systematis illius ostenderet.

Origenes.[1]

Quum cardo totius, de redemptionis et salutis ratione ab ingeniosissimo hocce viro exarati, systematis, in illa, ni fallor, doctrina versetur, quod; qui peccando a Deo defecerint, non aliter divinæ communionis rursus participes fieri possint, quam si Logos, qui in persona Jesu Christi cum perfecta humana natura se conjunxerit, quo cum omnibus hominibus perfectissimam suam vitam communicet, eos vera fide, quæ hanc ipsius vitam percipiat, spiritualiter regenerarit[2]: jam a priori concludere licet, dogma ejus de baptismi vi et effectibus absolute magicum esse non posse; quippe quod systematis cardini omnino repugnaret. Altera autem ex parte concludendum est, mysticam totius ætatis sententiam de magica externi baptismi vi apud

---

1) Loci laud. ex ed. utrinsque Delaruæi — Parisiis 1733-59 — excerpti sunt.

2) "Ὁρῶσιν," inquit, "ὅτι ἀπ' ἐκείνου (ɔ: Ἰησοῦ) ἤρξατο θεία καὶ ἀνθρωπίνη συνυφαίνεσθαι φύσις· ἵν' ἡ ἀνθρωπίνη τῇ πρὸς τὸ θειότερον κοινωνίᾳ γένεσθαι θεία, οὐκ ἐν μόνῳ τῷ Ἰησοῦ, ἀλλὰ ἐν πᾶσι τοῖς μετὰ τοῦ πιστεύειν ἀναλαμβάνουσι βίον, ὃν Ἰησοῦς ἐδίδαξεν, ἀναγάγοντα ἐπὶ τὴν πρὸς τὸν θεὸν φιλίαν, καὶ τὴν πρὸς ἐκεῖνον κοινωνίαν πάντα τὸν κατὰ τὰς Ἰησοῦ ὑποθήκας ζῶντα." (Contra Celsum, lib. 3. cap. 28.) Quod vero hujus vitæ ἀνάληψιν *necessariam* fidei sequelam æstimat, imprimis ex tom. XIX in Joh. cap. 6 apparet, ubi hominem dicit fide objectum fidei in internam suam vitam recipere, ut principium fiat, quo ductus agat, verum igitur Christianum fide sua ipsum Logon recepisse, ejusdemque voluntate agi.

eum etiam non nihil valuisse. Quod si dogma ejus investigaverimus, rem ita se habere inveniemus.

Vocabulo, quod est "παλιγγενεσία sive ἀναγέννησις", non solum novæ vitæ in homine initium, sed ejusdem etiam perfectionem Origenes significat, ut notio, huic vocabulo subjecta, totum fere salutis ordinem comprehendat. Priorem (proprie sic dictam) regenerationem, qua "ὁ γεννηθεὶς ἄνωθεν ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος καθαρὸς ἀπὸ ῥύπου" fit, sed "καθαρὸς δι' ἐσόπτρου καὶ ἐν αἰνίγματι," a posteriore quidem regeneratione, quæ magnâ illâ rerum restitutione, "ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ," perfici, quaque "πᾶς, ὁ εἰς τὴν παλιγγενεσίαν ἐκείνην φθάσας, καθαρώτατος … ἀπὸ ῥύπου πρόσωπον πρὸς πρόσωπον — καὶ αὐτὸς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας φθάνων ἐπ' ἐκείνην τὴν παλιγγενεσίαν—"[1] fieri ipsi videtur, distinguit; utramque autem, intime conjunctam, una cum tota sanctificatione, quæ iis interjacet, ut jam vidimus, hocce vocabulo comprehendit. Cujus perfectæ spiritualis regenerationis *symbolum* ex sententia ejus baptismus est, minime vero mere significativum, imo potius *exhibitivum* symbolum. Utut enim miracula Christi — licet summum eorum pondus in eo quærendum dicat, quod spiritualem τοῦ λόγου ad internam hominum vitam purgandam sanandamque

[1]) In Matth. tom. 15 cap. 23. Hocce dogma in memoriam revocat Clementis doctrinam de hypothetica, quæ perfecto baptismo hominibus conceditur, perfectione, ex qua progerminare ait veram et absolutam æternæ vitæ perfectionem. Vide supra pag. 52 sqq.

vim symbolice adumbrarent — simul tamen, quum fidem in corporaliter sanatis excitarent, multum ad hanc internam sanationem contulisse, hujusque igitur exhibitiva, ut ita dicam, signa fuisse ei videntur: ita baptismus quoque ex sententia ejus, dum perfectam spiritualem regenerationem symbolice adumbrat, eam simul divina quadam vi, quæ in trinitatis invocatione inest, efficere incipit, et *exhibitivum* igitur internæ regenerationis symbolum est. "χρὴ δὲ εἰδέναι," inquit, "ὅτι ὥσπερ αἱ κατὰ τὰς γεγενημένας ὑπὸ τοῦ Σωτῆρος θεραπείας τεράστιοι δυνάμεις, σύμβολα τυγχάνουσαι τῶν ἀεὶ λόγῳ τοῦ θεοῦ ἀπαλλαττομένων πάσης νόσου καὶ μαλακίας, οὐδὲν ἧττον καὶ σωματικῶς γενόμεναι ὤνησαν, εἰς πίστιν προκαλεσάμεναι τοὺς εὐεργετηθέντας. οὕτως καὶ τὸ διὰ τοῦ ὕδατος λουτρὸν, σύμβολον τυγχάνον καθαρσίου ψυχῆς πάντα ῥύπον ἀπὸ κακίας ἀποπλυνομένης, οὐδὲν ἧττον καὶ κατ' αὐτὸ τῷ ἐμπαρέχοντι ἑαυτὸν τῇ θειότητι τῆς δυνάμεως τῶν τῆς προσκυνητῆς τριάδος ἐπικλήσεών ἐστιν ἡ χαρισμάτων θείων ἀρχὴ καὶ πηγή."[1] Hujus baptismi efficacitatis argumentum in Act. App. invenit. "μαρτυρεῖ δὲ," inquit, "μου τῷ λόγῳ ἡ ἐν ταῖς τῶν ἀποστόλων πράξεσιν ἀναγεγραμμένη ἱστορία περὶ τοῦ οὕτως ἐναργῶς τότε τὸ πνεῦμα τοῖς βαπτιζομένοις ἐπιδεδημηκέναι, προευτρεπίσαντος αὐτῷ τοῦ ὕδατος τοῖς γνησίως προσιοῦσιν ὁδὸν, ὡς καὶ τὸν Μάγον Σίμωνα καταπλαγέντα θέλειν μὲν τὴν χάριν ταύτην ἀπὸ τοῦ Πέτρου λαβεῖν."[2] — *Duæ mysticæ*

---

[1]) In Joh. tom. 6, cap. 17.

[2]) Ibid.

sententiæ hocce in dogmate notandæ sunt, *prior*, quod formulæ, in baptismate adhibendæ, magicam vim tribuisse videtur, quamobrem quoque hujus formulæ enunciationem absolute necessariam judicat,[1] "ut salutaris baptismus non aliter, nisi excellentissimæ omnium trinitatis auctoritate, i. e. Patris, Filii et Spiritus S. *cognominatione* compleatur;"[2] *secunda*, quod ipsâ manus impositione apostolorum, ut si magicus et theurgicus ritus fuisset, Spiritum S. baptizatis concessum credidit. "In actibus apostolorum," inquit, "per impositionem manuum apostolicarum Spiritus S. dabatur in baptismo —"[3] et alio loco: "Per impositionem manuum apostolorum post baptismum gratia et revelatio Spiritus S. tradebatur."[4] Simul vero notandum est, quod, quatenus mihi videre licuit, magicam hancce manuum impositionis efficacitatem ultra tempora apostolorum non extendit.

Quod vero ad summam dogmatis pertinet, tantum abest, ut baptismum *ex opere operato* sa-

---

1) "Non habetur legitimum baptisma, nisi sub nomine trinitatis." In ep. ad. Rom. lib. 5 cap. 8.

2) περὶ ἀρχῶν 1, 3, 2. Cujus sententiæ causam hanc affert, quod hominis regeneratio totius trinitatis opus sit; exinde autem solummodo concludendum fuisset, baptismum in P. F. Sp. S. initiationem esse, minime autem, omnium nominum enunciationem absolute necessariam esse. "Qui regeneratur per Deum," inquit, "in salutem, opus habet et Patre et Filio et Sp. S, non percepturus salutem, nisi sit integra trinitas." — Ibid. 1, 3. 5.

3) Ibid. 1, 3, 2.

4) Ibid. 1, 3, 7.

lutarem hanc efficaciam exserere dicat, ut disertis verbis contrarium affirmet,[1] et diligentissime eos, qui *perfecto* baptismo in salutem baptizentur, ab iis, quibus baptismus nihil aliud sit, nisi aquæ lavacrum, quod salutem minime conferre possit, distinguat. "Non lavantur," inquit, "omnes in salutem. Qui accepimus gratiam baptismi in nomine Christi loti sumus, sed nescio, quis lotus sit in salutem. Simon lotus est, et baptisma consecutus perseverabat in Philippi societate; verum, quia non est lotus in salutem, condemnatus est ab eo, qui in Spiritu S. dixit ad eum: ""Pecunia tua tecum sit in perditionem."" Ingentis est difficultatis, eum, qui lavatur, lavari in salutem. Attendite catechumeni, audite, et ex his, quæ dicuntur, præparate vosmetipsos, dum catechumeni estis, dum necdum estis baptizati, et veniatis ad lavacrum, et lavemini in salutem, nec sic lavemini, ut qui accipit aquam, et non accipit Spiritum S. Qui lavatur in salutem et aquam accipit et Spiritum S."[2] — Optime igitur *perfectum baptismum ab imperfecto distinguit*, et perfectionis ejus conditiones, ut infra videbimus, has ponit: poenitentiam, conversionem, fidem, spiritualis ergo regenerationis elementa. Non solum autem in sola interna hominis baptizandi conditione positum esse conten-

---

[1]) "..... παλιγγενεσίας ὀνομαζόμενον λουτρὸν, μετὰ ἀνακαινώσεως γινόμενον πνεύματος, τοῦ καὶ νῦν ἐπιφερομένου, ἐπειδὴ παρὰ θεοῦ ἐστιν, ἐπάνω τοῦ ὕδατος, ἀλλ' οὐ πᾶσι μετὰ τὸ ὕδωρ ἐγγινομένου." In Joh. tom. 6 cap. 17.

[2]) In Ezech. hom. 6 pag. 378.

dit, utrum baptismo salvus fiat, necne; sed disertis etiam verbis *non-baptizatis quoque Spiritum S. se interdum impertire affirmat*, *et baptismati igitur salutem necessario obstrictam esse negat.* "Non omnes," inquit, "qui ex Israël, ii sunt Israëlitæ; neque omnes, qui loti sunt aqua, continuo etiam Spiritu S. loti sunt: sicut e contrario non omnes, qui in catechumenis numerantur, alieni sunt et expertes Spiritus S. Invenio enim in scripturis divinis nonnullos catechumenos dignos habitos Spiritu S., et alios, accepto baptismo, indignos fuisse S. Spiritus gratia. Cornelius catechumenus erat, et, antequam ad aquam veniret, meruit accipere Spiritum S.; Simon baptismum acceperat, sed, quoniam cum hypocrisi accessit ad gratiam, repudiatur a dono Spiritus S. Nolo dubites et nunc esse in populo catechumenorum aliquos Cornelios, ad quos dici possit: ""Quia misericordia et orationes tuæ ascenderunt in coelum;"" et rursum in populo fidelium esse aliquos Simones, quibus confidenter dicendum est: ""O! plene omni dolo et fallacia, fili Diaboli! inimice omnis justitiæ!""[1]

Quærentibus jam nobis, quosnam singulos effectus baptismo noster tribuerit, eum *perfecto* baptismo, huic autem soli, omnes spiritualis regenerationis effectus, quum purgationem peccatorumque remissionem, tum Spiritus S. communicationem, qua communionis divinæ homines participes fiant, adscripsisse, ut jam ex supra dictis concludere

---

[1]) In Num. hom. 3 pag. 280.

licet, apparebit. "Οὐ σωματικὸν γάρ," inquit, "τὸ ἐκείνου βάπτισμα, τὸν μετανοοῦντα πληροῦντος ἁγίου πνεύματος, καὶ θειοτέρου πυρὸς πᾶν ὑλικὸν ἀφανίζοντος καὶ πᾶν γεῶδες ἐξαναλίσκοντος."[1] *Primum* igitur baptismum huncce purgationem, et carnalem et spiritualem, qua omnes homines, simul atque nati sint, indigeant, in baptizatis efficere dicit. Qvamvis enim dogma de peccato originali non amplectatur, ex systemate tamen ejus unusquisque homo *pravus*, quum non alia de causa, quam ob peccata in præexistentia commissa, corpore hocce terrestri inclusa sit, anima, et *pollutus*, quum absque omni delictorum illorum respectu ipsa corporis assumptio polluat animam[2], æstimetur necesse est. Hoc peccati corporisque vitio baptismum liberare ait, eoque ipso peccatorum remissionem donare. "Lota sunt enim," inquit,

1) In Joh. tom. 6, cap. 17.

2) Quam ob causam ne dubitat quidem, quin Jesus quoque ipse pollutus fuerit. "Jesus," inquit, "purgatione indiguit et immundus fuit, aut aliqua sorde pollutus. Temerarie forsitan videor dicere, sed scripturarum auctoritate commotus. Vide, quid in Job scriptum est: Nemo mundus a sorde, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus. Non dixit: Nemo mundus a peccato, sed: Nemo mundus a sorde; neque enim id ipsum significant sordes atque peccata .... Omnis anima, quæ humano corpori fuerit induta, habet sordes suas. .... Oportet ergo, ut pro Domino et salvatore nostro, qui sordidis vestimentis fuerat indutus, et terrenum corpus assumserat, ea offerrentur, quæ purgare sordes ex lege consueverant." In Luc. hom. 14, pagg. 947-48.

"semel vestimenta tua; quum venisti ad gratiam baptismi, purificatus es corpore, mundatus es ab omni inquinamento carnis et spiritus"[1] — et alio loco: "Si delinquas, ipse tibi conscribis peccati chirographum. Sed vide, quia, quum semel accessisti ad crucem Christi et ad gratiam baptismi, chirographum tuum cruci affixum et in fonte baptismi deletum est."[2] Declarat etiam, "ὅτι οὐκ ἔστιν ἄφεσιν ἁμαρτημάτων χωρὶς βαπτίσματος λαβεῖν"[3] (quibus tamen verbis solummodo indicare voluit, baptismum *ordinariam* esse remissionis viam, non autem unicam, id quod ex eo apparet, quod, ut supra vidimus, Spiritum S. interdum iis quoque, qui baptismum non acceperint, se communicare docet); sed, ut jam diximus, de solo perfecto baptismo hoc edicit, et in ipsa hominis baptizandi poenitentia et conversione hanc purgandi et condonandi vim positam censet; quamobrem summo cum studio catechumenos monet, ne prius baptismum accipiant, quam verà poenitentià se conversos sentiant. "Venite catechumeni," inquit, "agite poenitentiam, ut in remissionem peccatorum baptisma consequamini. In remissionem peccatorum ille accipit baptisma, qui peccare desistit. Si quis enim peccans ad lavacrum venit, ei non fit remissio peccatorum. Propterea obsecro vos, ne absque cautela et diligenti

---

[1]) In Exod. hom. 11, pag. 172.

[2]) In Genes. hom. 13, pag. 97. cfr. in Cant. Cant. lib. 4, pag. 88.

[3]) Exhort. ad martyrium, cap. 30.

circumspectione ad baptismum veniatis, sed ostendatis primum fructus dignos poenitentiæ. Facite aliquid temporis in conversatione bona, mundos vos a cunctis sordibus vitiisque servate, et tunc vobis remissionem peccatorum fiet, quando coeperitis et ipsi propria peccata contemnere. *Dimittite delicta vestra, et dimittentur vobis.*"[1] Quod si quis a peccatis se nondum converterit, baptismum ejus *illegitimum* æstimat. "Si quis," inquit, "prius mortuus est a peccato, is necessario in baptismo consepultus est Christo; si vero non ante quis moritur peccato, non potest sepeliri cum Christo. .... Quod si non consepelitur Christo, *nec legitime baptizatur*" — et infra: "Sicut nemo vivus potest sepeliri cum mortuo, ita nemo, qui adhuc vivit peccato, potest in baptismo consepeliri Christo, qui mortuus est peccato. Et ideo, qui festinant ad baptismum, hoc prius curare debent, ut moriantur ante peccato, et sic possint consepeliri Christo per baptismum."[2] Quin etiam, aurei illius axiomatis oblitus, quod certi fines sunt, quos ultra citraque nequit consistere rectum, eo usque progressus videtur, ut iis, quos peccatorum suorum ex intimo pectore non poeniteat, baptismum *condemnationi* fieri doceat, quum intelligere debuisset, baptismum talibus concessum, licet, usque dum vitiositatis suæ eos poeniteret, ab omni parte imperfectus esset, simulac se converterent et spiritualiter regenerarentur, eo ipso perfectum fieri.

¹) In Luc. hom. 14, pag. 957.
²) In ep. ad Rom. lib. 5, cap. 8.

Matthæum docuisse ait: "ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος ὠφέλειαν ἔχεσθαι τῆς προαιρέσεως τοῦ βαπτιζομένου, τῷ μετανοοῦντι μὲν ἐγγινομένην, τῷ δὲ μὴ μετανοοῦντι προσίοντι εἰς κρίμα χαλεπώτερον ἐσομένην."[1] Quod si his verbis hoc solum indicare voluisset, eum, qui hypocritica et fallaci mente ad baptismum obrepsisset, hanc ob impietatem, qua homines et fortasse Deum ipsum fallere cuperet, majore poena dignum esse, quam qui baptismum accipere noluisset; minime reprehendendus fuisset; sed plures sunt, quos infra afferam, loci, qui, licet non omnino perspicui sint, indicare tamen videantur, eum crassam de hacce condemnatione sententiam fovisse. — Alius quoque perversæ doctrinæ accusandus est, quod scilicet remissio peccatorum, perfecto baptismo concessa, solummodo ad antea commissa peccata pertineat. Baptismum enim, proprie sic dictum, cum martyrio, sanguinis, ut dicitur, baptismo, comparans, "per illud," inquit, "baptisma *præterita* peccata purgantur, per istud vero etiam futura perimuntur."[2] Non tamen admodum difficile ducit, postea commissorum veniam obtinere, sex enim diversos ejus comparandæ modos enumerat; quomodo vero quis, præsertim ingeniosissimus vir, tam perversam doctrinam proponere potuerit, quæ internum cum externo plane confundat, certasque externas res, a vera sua radice in pectore intimo divulsas, ex opere quasi operato veniam com-

---

[1]) In Joh. tom. 6, cap. 17.

[2]) In lib. Judic. hom. 7, cap. 2.

parare aperte declaret, difficillimum sane est ad intelligendum. "Audi," inquit, "quantæ sint remissiones peccatorum in evangeliis. Est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum. Secunda remissio est in passione martyrii. Tertia est, quæ pro eleemosyna datur — aff. Luc. 11, 41 — Quarta nobis fit remissio peccatorum per hoc, quod et nos remittimus peccata fratribus nostris — Mth. 6, 14 — Quinta remissio est, quum converterit quis peccatorem ab errore viæ suæ — Jac. 5, 20 — Sexta quoque fit remissio per abundantiam charitatis — Luc. 7, 17 — 1 Pet. 4, 8 — Est adhuc et septima licet dura et laboriosa per poenitentiam rem. pecc., quum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, et quum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum."[1]

Deinde communionis cum Deo et Christo per Spiritum S. hominem participem baptismum reddere ait, solummodo vero si vera fides et amor erga Deum Christumque in eo procreatus fuerit, sin minus, etiam detrimento ei fieri. "Quum ergo," inquit, "venimus ad gratiam baptismi universis aliis diis ac dominis renunciantes, solum confitemur Deum, Patrem, Filium, Spiritum S.; sed hoc confitentes, nisi toto corde diligamus Deum nostrum, et tota anima et tota virtute adhæreamus ipsi, non sumus effecti pars Domini; sed velut in confinio quodam positi et illos offensos patimur, quos refugimus, et Deum, ad quem confugimus,

---

[1]) In Levit. hom. 2, pag. 190-91.

propitium non efficimus, quem non ex toto et integro corde diligimus."[1] Quæ crassissima sententia simul obscurior est, et, nisi statuimus, Origenem credidisse, deos ethnicorum dæmones esse[2], vix explicari potest. Alio quoque loco duplicem hanc baptismi efficacitatem descripsisse videtur, quum, "baptismus," inquit, "quo baptizat Christus, in Spiritu S. est et igni. ..... Si sanctus fueris, Spiritu S. baptizaberis, si peccator, in ignem mergeris, atque unum et idem baptismum indignis et peccatoribus in condemnationem et ignem vertetur; his vero, qui sancti sunt, et tota fide ad Dominum convertuntur, Spiritus S. gratia salusque tribuenda est."[3] Attamen dubitari potest, utrum h. l. de baptismo, proprie sic dicto, an de sola spirituali salvatoris efficacitate, quæ quidem aliis saluti, aliis judicio fieret, locutus fuerit. Quod enim baptismum in Spiritu S. et igne mere spiritualem interdum cogitaverit, et hæcce verba: "Χριστὸς οὐκ ἐν ὕδατι βαπτίζει, ἀλλ' οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· ἑαυτῷ δὲ τηρεῖ τὸ ἁγίῳ πνεύματι βαπτίζειν καὶ πυρί"[4] — et hæcce: "Johannis baptisma videbatur, Christi baptismus invisibilis erat,"[5] quæ ad poste-

¹) In Exod. hom. 8, pag. 158.

²) Unum modo effatum, quod hanc perversam, ceterum pervulgatam doctrinam adumbrare videtur, apud Origenem inveni: "Non simulacris gentium comparat (ɔ: Moses) Deum, nec dæmonibus, qui sibi falso Deorum nomen adsciscunt." In Exod. hom. 6, cap. 5.

³) In Luc. hom. 26, pag. 963.

⁴) In Joh. tom. 6, cap. 13.

⁵) In Luc. hom. 24, pag. 961.

riora verba ipse noster locus respicit, argumento sunt. — *Denique* Origenem non præteriit, quod intimæ quoque cum ecclesia communioni baptismus homines initiat. "οἱ ἀναγεννώμενοι," inquit, "διὰ τοῦ θείου βαπτίσματος ἐν τῷ παραδείσῳ τίθενται, τουτέστιν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἐργάζεσθαι τὰ ἔνδον ὄντα ἔργα πνευματικά· καὶ ἐντολὴν λαμβάνουσι πάντας ἀγαπᾷν τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τὸν ἐρχόμενον καρπὸν δι' ὑπομονῆς ἐσθίειν." [1]

Summa ergo dogmatis hæcce est: si baptizandus vera poenitentia, animi conversione, fide ducitur, baptismus verum regenerationis lavacrum ei fit, quod, invocatione sanctæ trinitatis cum sancto Patris Filiique spiritu conjunctum, hunc cum baptizato per poenitentiam et fidem ipsius communicet, eoque ipso æternæ vitæ eum participem reddat; sin vero hisce subjectivis conditionibus baptizandus caret, merum aquæ lavacrum est, quod non modo non saluti, sed etiam detrimento ei fiat. Magno opere igitur Origenes laudandus est, quod tam distincte perfectum baptismum ab imperfecto, quin etiam, licet obscurius, regenerationem, per se cogitatam, ab externo ejus symbolo discrevit[2], neque alias statuit salutarium bap-

---

[1]) In Genes. pag. 28.

[2]) Quamquam permulta jam hujus rei argumenta attuli, minime tamen a me impetrare possum, ut hunc locum, quo disertis verbis visibilem baptismum ab invisibili distinguat, omittam: "Quamvis secundum typum, ecclesiis traditum, omnes baptizati sumus in aquis istis visibilibus et chrismate visibili, tamen, qui mortuus est peccato, et *vere* baptizatur in mortem Christi, et conse-

tismi effectuum conditiones, quam ipsius regenerationis elementa; in his vero erravit, quod formulæ baptismi magicam, ni fallor, vim tribuit, ad anteactam solam vitam remissionem pertinere dixit, magicam denique ad condemnandam vim baptismati adscripsisse videtur.

Infantium baptismus Origeni verus offensionis lapis fuit; nam in eo tractando dogma ejus omnibus nominibus magicum est. Quum enim huic baptismo eosdem plane effectus, quos perfecto adultorum baptismo tribuit, quamvis subjectivæ illæ conditiones, quæ hunc perfectum reddunt, in infantibus inesse non possint, nihilosecius vindicet, efficacitatem plane magicam ei adscribat necesse est. "Parvuli baptizantur," inquit, "in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum? vel quo tempore peccaverunt? aut quomodo potest ulla lavacri in parvulis ratio subsistere, nisi juxta illum sensum[1], de quo paulo ante diximus: Nullus mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus super terram? Et quia per baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et parvuli. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non poterit intrare in regnum coelorum."[1] Ceterum "secundum ecclesiæ observantiam etiam parvulis baptismum dari"[2] ait; nec

pelitur ei per baptismum in mortem, iste vere in Spiritu S. et aqua de superioribus baptizatur." In ep. ad Rom. lib. 5, cap. 8.

[1]) In Luc. hom. 14, pag. 948.

[2]) In Levit. hom. 8, pag. 230.

dubitat, hujus "observantiæ" originem de apostolorum traditione derivare. "Pro hoc," inquit, "et ecclesia ab apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam et Spiritum ablui deberent; propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur."[1]

Supra jam[2] exegesin effati illius Johanneïci de baptismo Christi in Spiritu S. et igni offendimus; plures autem hujus effati explicationes noster proposuit. Primum baptismum ignis a baptismo Spiritus diversum esse ait, et quidem ad peccata baptizatorum, post baptismum commissa, diluenda destinatum. "διὰ τοῦτο," inquit, "ὁ Ἰησοῦς βαπτίζει ... ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί, οὐχ ὅτι τὸν αὐτὸν ἐν πν. ἁγ. καὶ π., ἀλλὰ τὸν μὲν ἅγιον ἐν τῷ πν. ἁγ., τὸν δὲ μετὰ τὸ πιστεῦσαι, μετὰ τὸ ἀξιωθῆναι ἁγίου πνεύματος πάλιν ἡμαρτηκότα λούει ἐν πυρί."[3] Deinde utrumque unum eundemque esse ait, et majorem quidem, quam perfectum aquæ lavacrum, perfectissimum scilicet regenerationis baptismum, qui in magna rerum restitutione fiat: "αὐτὸς (ɔ: ὁ σωτὴρ) ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πν. ἁγ. καὶ π.· ἐν μὲν οὖν τῇ διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίᾳ συνετάφημεν τῷ Χριστῷ, ... ἐν δὲ τῇ τοῦ διὰ πυρὸς καὶ πνεύματος λουτροῦ παλιγγενεσίᾳ σύμμορφοι γινόμεθα τῷ σώματι τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ, καθεζομένῳ ἐπὶ

---

[1]) In ep. ad Rom. lib. 5.

[2]) Pag. 102 sqq.

[3]) In Jerem. hom. 2, pag. 139.

θρόνου δόξης αὐτοῦ, καὶ αὐτοὶ κατεζόμενοι ἐπὶ δώδεκα θρόνους."[1] Tandem utrumque iterum sejungit, solum ignis baptismum majorem illum ducens, qui in restitutione solummodo dignis, qui priorem baptismum inviolatum servarint, concedatur: "Quando baptizat Jesus Spiritu S., et rursum quando igne baptizat? Numquid uno eodemque tempore Spiritu et igne baptizat, an vario atque diverso?.... Baptizati sunt apostoli post ascensionem ejus ad coelos Spiritu S., quod autem igne fuerint baptizati, scriptura non memorat...... Stabit in igneo flumine Dominus Jesus juxta flammeam romphæam, ut quemcunque post exitum vitæ hujus, qui ad Paradisum transire desiderat, et purgatione indiget, hoc eum amne baptizet et ad cupita transmittat: eum vero, qui non habet signum priorum baptismatum, lavacro igneo non baptizet. Oportet enim prius aliquem baptizari aqua et Spiritu, ut quum ad igneum flumen venerit, ostendat se et aquæ et Spiritus lavacra servasse, et tunc mereatur etiam ignis accipere baptismum in Christo Jesu."[2] Omnes vero igneo hocce lavacro indigere alio loco contendens, "ego puto," inquit, "quod et post resurrectionem ex mortuis indigeamus *sa-*

---

[1]) In Mth. tom 15 cap. 23.

[2]) In Luc. hom. 24, pag. 961. Ea de causa primam explicationem ab hacce diversam judicavi, quod ibi, qui priorem baptismum violarunt, hic, qui eum inviolatum pro virili servarunt, igne baptizandi dicuntur. Quod ceterum h. l. baptisma ad salutem absolute necessarium æstimasse videtur, tenendum est, eum, ut supra vidimus — pag. 96 — exceptiones admisisse.

cramento, eluente nos atque purgante — nemo enim absque sordibus resurgere poterit — nec ullam posse animam reperiri, quæ universis statim vitiis careat."[1] Quibus ex locis apparere videtur, internam regenerationem et sanctificationem per se ad perfectionem et felicitatem hominibus comparandam ex opinione Origenis haud *plane* sufficere, nisi adsit quoque sacramentalis actus, qui demum eos omnino perficiat. Haud parum ergo ad interni cum externo confusionem animus ejus inclinavit, quamquam doctrina ejus ceterorum purior est.

Quod ad martyrium attinet, baptismi nomine id ornat, quod delictorum remissionem comparet. "Καθὸ δὲ," inquit, "ἄφεσιν λαμβάνει ἁμαρτημάτων ὁ ὑπομείνας (ɔ: τὸ μαρτύριον), βάπτισμά ἐστιν· εἰ γὰρ τὸ βάπτισμα ἄφεσιν ἁμαρτημάτων ἐπαγγέλλεται, καθὼς παρειλήφαμεν περὶ τοῦ ἐν ὕδατι καὶ πνεύματι βαπτίσματος, ἄφεσιν δὲ λαμβάνει ἁμαρτημάτων καὶ ὁ τὸ τοῦ μαρτυρίου ὑπομείνας βάπτισμα, βάπτισμα τὸ μαρτύριον εὐλόγως λέγοιτ' ἄν."[2] Imo martyrium baptismo majus esse contendit; "baptisma enim sanguinis," inquit, "solum est, quod nos puriores reddat, quam aquæ baptismus reddidit. ... et, ne ista dicens offendam, vereor, ne istud baptisma eminentius sit illo baptismate, quod per aquam traditur. Illo enim accepto valde pauci sunt ita beati, qui id immaculatum usque ad exitum vitæ servare potuerint. Hoc vero baptismo qui baptizatus fuerit, peccare jam ultra

---

[1]) In Luc. hom. 14, pag. 948.
[2]) In Matth. tom. 16, cap. 6.

non potest."[1] Minime vero his contentus, aliis etiam martyrem morte sua remissionem comparare docet.[2] "ἐπίστησον, εἰ τὸ κατὰ τὸ μαρτύριον βάπτισμα, ὥσπερ τὸ τοῦ σωτῆρος καθάρσιον γέγονε τοῦ κόσμου, καὶ αὐτὸ ἐπὶ πολλῶν θεραπείᾳ καθαιρόμενον γίνεται. ὡς γὰρ οἱ τῷ κατὰ τοῦ Μωσέως νόμον θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες, διακονεῖν ἐδόκουν δι' αἵματος ταυρῶν καὶ τράγων ἄφεσιν ἁμαρτημάτων ἐκείνοις, οὕτως αἱ ψυχαὶ τῶν πεπελεκισμένων ἕνεκαν τῆς μαρτυρίας Ἰησοῦ, μὴ μάτην τῷ ἐν οὐρανοῖς θυσιαστηρίῳ παρεδρεύουσαι, διακονοῦσι τοῖς εὐχομένοις ἄφεσιν ἁμαρτημάτων."[3]

Baptismum Johannis non solum Christi baptismo inferiorem æstimat, et regenerandi vim in eo inesse negat[4], sed acute etiam contendit, eum modo fastigium veteris foederis, minime autem initium novi repræsentasse. "Ipse Christus," inquit, "a Johanne baptizatus refertur, non eo baptismate, quod in Christo est, sed eo, quod in lege est. Ita enim et ipse ait ad Johannem: Sine modo, sic

---

[1]) In lib. Judic. hom. 7, cap. 2.

[2]) Cfr. Neand. K. G. vol. I, pag. 716.

[3]) Exhort. ad martyr. cap. 30.

[4]) "καὶ τοῦτο δὲ παρασημειοτέον, ὅτι τὸ Ἰωάννου βάπτισμα ὑποδεέστερον τοῦ βαπτίσματος Ἰησοῦ, διδομένου διὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ. Οἱ γοῦν ἐν ταῖς Πράξεσι βεβαπτισμένοι εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, μηδὲ, εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐστιν, ἀκούσαντες, βαπτίζονται δεύτερον ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου. τὸ γὰρ τῆς ἀναγεννήσεως οὐ παρὰ τῷ Ἰωάννῃ, ἀλλὰ παρὰ τῷ Ἰησοῦ διὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἐγίνετο, καὶ παλιγγενεσίας ὀνομαζόμενον λουτρὸν μετὰ ἀνακαινώσεως γινόμενον πνεύματος." In Joh. tom. 6 cap. 17.

enim decet nos adimplere omnem justitiam. In quo ostendit, quod baptismus Johannis expletio erat veterum, non inchoatio novorum."[1]

Cyprianus.[2]

Ea inprimis de causa, quod in ipsorum patrum vita regeneratio cum baptismo, quippe quem vera poenitentia et fide ducti susciperent, intime conjuncta esset, nec ipsi satis acuto ingenio ad notiones earum rerum, quæ in vita tam arcte cohærerent, accurate destinguendas instructi essent, regenerationem cum symbolo ejus pios hosce viros confudisse, clarissimi Neandri vestigia secutus, supra dixi[3]; quam sententiam, Cypriani vitam et doctrinam considerando, experientià probatam inveniemus. Ea enim, quæ in vita ejus, a Pontio Diacono descripta, de modo, quo ad baptismum se præparavit, occurrunt, cum ipsius de baptismo suo narratione comparantes, quum regenerationem et baptismum ei arctissime conjuncta fuisse, tum ipsum, hoc demum suscepto, illius plane sibi conscium factum esse videbimus. — Vividissimis coloribus miseram suam conditionem ante baptismum susceptum depingit[4]; vitiositatem suam penitus eum agnovisse videmus, ut de salute etiam desperaret; difficile enim a se impetrare potuit, ut affirmationi

---

1) In ep. ad Rom. lib. 5, cap. 8.

2) Loci laud. ex ed. Oxoniensi — a. 1682 — excerpti sunt.

3) Vide prolegg. pagg. 10-11.

4) Ad Donatum pagg. 2-3.

Christianorum, qui baptismo homines subito renovari testarentur, fidem haberet. "Ego," inquit, "cum in tenebris atque in nocte cæca jacerem; cumque in salo jactantis seculi nutabundus ac dubius, vestigiis oberrantibus, fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, utque in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat, exponeret, et, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Qui possibilis, ajebam, est tanta conversio, ut repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit? ... Hæc egomet sæpe mecum, nam ut ipse quamplurimis vitæ prioris erroribus implicitus tenebar, quibus exui me posse non crederem; sic vitiis adhærentibus obsecundans eram, et desperatione meliorum malis meis veluti jam propriis ac vernaculis favebam."[1] Quum repente jam ad felicissimum suum statum, post baptismum susceptum, splendidissime describendum transit, seque sancto hocce lavacro omnino purgatum et renovatum ait, ut "protinus confirmarent se dubia, paterent clausa, lucerent tenebrosa;"[2] quis

---

1) Ad Donatum pagg. 2-3

2) "Sed postquam, undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit; postquam, coelitus Spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit; mirum in

tandem non videt, hic aliquid eum omisisse, transitum a desperatione ad eam mentem, qua baptismum suscipere statuerit, prætermisisse? Severum enim huncce virum, dum adhuc de baptismi vi tantopere dubitaret, non temere hujus periculum facere voluisse; rem, si modo ad honoris civilis jacturam, cum ea conjunctam, respicias, tam gravem, non leve experimentum ei fuisse; contra autem consilium baptismi suscipiendi firma de salutari ejus vi persuasione fundatum fuisse, et per se patet, et Pontii narratione certissimum fit[1]. Hæc enim nos docet, Cyprianum jam, quum catechumenus esset, summo ardore, ut voluntatem Dei cognosceret, eamque in omnibus sequeretur, studuisse; magna continentiæ et pietatis documenta dedisse; bona sua, ut pauperibus succurreret, vendidisse; "tam matura cæpisse fide, quanta pauci fortasse perfecerint."[2] Celerrime igitur præter

modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa. cet." Ibid.

1) Video quidem, Doct. Rettberg ("Thascius Cæcilius Cyprianus, dargestellt nach seinem Leben und Wirken" Gött. 1831. pag. 31 sqq.), Cyprianum, quum baptizaretur, experimentum solummodo egisse ("... eines Versuches war doch die Sache werth" — !) sentire, quin etiam contendere, "dasz es im Grunde ziemlich gleichgültig sey, ob er sich schon als Catechumene durch Entsagungsbeweise würdig auf das Bekenntnisz des Christenthums vorbereitete, oder erst durch die Kraft der Taufe zu dieser Entsagung gestärckt ward;" justo autem negligentior in hac re tractanda v. d. fuisse videtur.

2) "Inter fidei suæ prima rudimenta nihil aliud credidit Deo dignum, quam si continentiam tueretur; tunc enim

consuetudinem ecclesiæ ad baptismum admissus est; "mora," inquit Pontius, "circa gratiam Dei nulla, nulla dilatio. Parum dixi: presbyterium et sacerdotium statim accepit."[1] Quod si hoc testimonium cum verbis ipsius comparamus, in dubium mea opinione vocari non potest, quin regenerationis processus, ut ita dicam, ad hocce tempus, quum catechumenus esset, pertinuerit, simul vero ipse baptismus magno et salutari vi, qua ardentem ejus animum moverit, aut regenerationem ejus demum perfecerit, aut certam saltem salutis persuasionem ei dederit. Quum ergo regeneratio ejus et baptismus, quippe qui jure perfectus dicendus sit, tam arcte cohærerent, minime sane mirandum, quod utrumque confundebat, omnesque illius partes huic soli, utpote *magis conspicuo,* tribuebat. Hac autem ex confusione super-

---

posse idoneum fieri pectus et sensum ad plenam veri capacitatem pervenire, si concupiscentiam carnis robusto atque integro sanctimoniæ vigore calcaret. Quis unquam tanti miraculi meminit? Nondum secunda nativitas novum hominem splendore toto divinæ lucis oculaverat, et jam veteres ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat. Deinde, quod majus est, cum de lectione divina quædam, jam non pro conditione novitatis, sed pro fidei festinatione didicisset, statim rapuit, quod invenit promerendo Domino profuturum. Distractis rebus suis ad indigentiam pauperum sustentandam, tota prædia pretio dispensans, duo bona simul junxit, ut et ambitionem seculi sperneret ... et misericordiam ... impleret; et præpropera velocitate pietatis pæne ante cæpit perfectus esse, quam disceret." S. Cypriani Vita, pag. 2.

1) Ibid.

stitiosissimæ ideæ, quas vix et ne vix quidem vera Christiana conscientia vincere posset, uberrime progerminarent necesse erat.

Huc accedit, quod alius quoque confusionis, quam apud Tertullianum jam offendimus, accusandus est, quippe quum communicationem Spiritus S. cum manus impositione confundat; eoque magis superstitionibus obnoxia erat hæcce ejus doctrina, quod non, sicut Tertulliani tempore, unum indivisumque opus baptismus et manus impositio etiamnunc semper erant, sed hæc solis episcopis reservata erat, ut haud exiguum temporis spatium inter utrumque sæpe interjaceret. "Qui in ecclesia baptizantur," inquit, "præpositis ecclesiæ offeruntur, ut per nostram orationem et manus impositionem Spiritum S. consequantur, et signaculo dominico consummentur." [1] Baptismum

---

[1]) Ep. 73, pag. 202. Cel. *Augusti* (Denkw. vol. VII, pag. 410) "Bey der Taufe der Erwachsenen," inquit, "und bey der Vorstellung, dass die Taufe ein Vertrag und Bündniss (ἐπερώτημα — stipulatio — pactum — foedus) sey, musste die Confirmation, *auch ohne besondere dogmatisch-mystische Beziehung und aus dem Gesichtspunkte des römischen Rechts* betrachtet, als ein nothwendiger Vollendungs-Akt betrachtet werden. Und in dieser Hinsicht hatte die Benennung: σφραγὶς, signaculum, obsignatio u. a. ihren guten Grund und eine wichtige Bedeutung. Aber eben deshalb begreift man auch, warum in der Regel nicht der die Taufhandlung verrichtende Presbyter oder Diacon, sondern der Bischof, als kirchlicher Ober-Vorsteher, den Confirmation ertheilte." Re vera hæc primaria hujus divisionis causa fuisse videtur, ad eamque confir-

etiam et manus impositionem *duo* esse *sacramenta* sit; licet intimam quidem inter ea esse conjunctionem contendat, ut utrumque demum plenam et integram regenerationem efficiat; "tum enim demum," inquit, "plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si *sacramento utroque nascantur*, quum scriptum sit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei."[1] Attamen, quum baptismo proprium regenerationis nomen detrahere non audeat, simul vero constantiam systematis servare velit: huic regenerationi tam arctam et ab omni parte pravam crassamque notionem subjicit, ut ea sensisse videatur novum

---

mandam prava narrationis, in Act. App. cap. VIII obviæ, explicatio plurimum contulit; sed vir cel., dum eam probat, haud observavit, in re, ad religionem pertinente, notionem dogmaticam plus adferre momenti, quam respectum ad jus Romanum, et illam prohibere debuisse, ne res, tam arcte cohærentes, temere sejungerentur. Idemque oblitus est, foedus, non cum hominibus sed cum Deo sancitum, minime ab homine majoris ordinis, sed a solo Deo Spiritus S. communicatione confirmari posse.

1) Ep. 72, pag. 198, cfr Ep. 73, pag. 207 et suffragium Nemesiani, in Act. Conc. Carth. de hæret. bapt. a. 256 hab. pag. 231: "Neque enim Spiritus sine aqua operari potest, neque aqua sine Spiritu. Male ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant, quod per manus impositionem Spiritum S. accipiant (sc hæretici) et sic recipiantur (o: in ecclesiam); cum manifestum sit, *utroque sacramento* debere eos renasci in ecclesia catholica." Notandum tamen, verbum, quod est "sacramentum", latiorem notionem eo tempore habuisse. Cfr. Baumgarten-Crusius, "Lehrbuch der Dogmengeschichte" II, pag. 1187.

quidem hominem, sed adhuc *exanimem*, ut ita dicam, procreari, qui deinde manus impositione, Spiritum S. cum regenerato communicante, animetur. "Baptisma enim esse," inquit, "in quo homo vetus moritur et novus nascitur, manifestat et probat beatus apostolus, dicens: Salvavit nos per lavacrum regenerationis..... Porro autem non per manus impositionem quis nascitur, quando accipit Spiritum S., sed in baptismo, ut Spiritum jam natus accipiat, sicut in primo homine *Adam* factum est. Ante enim Deus eum plasmavit, et tunc insufflavit in faciem ejus flatum vitæ. Nec enim potest accipi Spiritus, nisi prius fuerit, qui accipiat."[1] Ad tales consequentias pravissima ista regenerationis a Spiritus S. communicatione distinctio ducit, sed sua quoque ipsius pravitate evertitur; quamobrem ipsum etiam Cyprianum videmus sæpissime utramque conjunctam cogitasse, aut, quum baptismum per se cogitaret, plus tamen honoris, quam h. l. ei tribuisse. Ex illa tamen doctrina necessario pæne sequitur, ut baptismo *imprimis negativos* veræ regenerationis effectus noster tribuat, manus impositioni positivos, quamvis in hoc quoque sæpe vacillet, et baptismum *sanctificare* atque cum Christo intime conjungere contendat.

Solum ergo baptismum contendit peccata hominum abluere — quamobrem, admittere sine baptismo homines, "qui non nisi in baptismo possint blasphemiarum suarum peccata deponere,"[2]

---

[1]) Ep. 74, pag. 213.
[2]) Ep. 73, pag. 207.

valde periculosum sit — vincula diaboli eos omnino liberare, ipsum diabolum plane expellere posse, ut multo fortior, quam exorcismus, sit. "Hodie etiam geritur," inquit, "ut per exorcistas voce humana et potestate divina flagelletur et uratur et torqueatur diabolus, et, cum exire se et homines Dei dimittere sæpe dicat, in eo tamen, quod dixerit, fallat, et id, quod per Pharaonem prius gestum est, eodem mendacio obstinationis et fraudis exerceat. Cum tamen ad aquam salutarem atque ad baptismi sanctificationem venitur, scire debemus et fidere, quia *illic* diabolus opprimitur, et homo, Deo dicatus, divina indulgentia liberatur. Nam si scorpii et serpentes, qui in sicco prævalent, in aquam præcipitati prævalere possunt, aut sua venena retinere, possunt et spiritus nequam s:..:.. permanere ultra in hominis corpore, in quo baptizato et sanctificato incipit Spiritus S. habitare."[1] Qua in doctrina, licet crassissima sit, hoc

---

1) Ep. 69, pag. 187-88. Mirandum sane, quod complures (ut Rettberg — l. l. pag. 328-29 —, qui, ne ipsa verba laudata sententiam ipsius refutent, in loco citando verba gravissima inde a: "et cum exire se" usque ad: "fraudis exerceat" — prudenter omisit), exorcismum jam eo tempore inter ritus baptismatis fuisse, *his* verbis demonstrare conati sunt. Ceterum non negari potest, quin exorcismus baptizandi illo tempore in usu fuerit; complura enim Conc. Carth. (de bapt. hæret. a. 256 habiti) suffragia hoc testantur, quorum Vincentii a Thibari et Cæcilii a Bilta gravissima videntur. Hic, "scriptum est," inquit, "una fides, una spes, unum baptisma; non apud hæreticos, ubi spes nulla est et fides falsa; ubi

tamen laudandum, quod ipsi regeneranti baptismo, nec pravo illi exorcismi ritui, hanc vim tribuit. — Originale imprimis peccatum hoc regenerationis lavacro dilui docet, eodemque, quum ita hominem purget, licet fragilitatem ejus plane eradicare haud valeat, remissionem concedi affirmat. Minime vero intellexisse videtur, justificatione divina continuam hominis rationem ad salutiferam Dei gratiam esse conditam, ut homo justificatus *novis*

omnia per mendacium aguntur; ubi *exorcizat* dæmoniacus; sacramentum interrogat, cujus os et verba cancer emittunt; fidem dat infidelis; veniam delictorum tribuit sceleratus; in nomine Christi tingit antichristus; benedicit a Deo maledictus; vitam pollicetur mortuus; pacem dat impacificus; Deum invocat blasphemus; sqq." — quo loco exorcismum commemorare videtur, ut si primus esset rituum, in baptismate adhibendorum. Ille, "hæreticos scimus," inquit, "esse pejores, quam ethnicos; si ergo conversi ad Dominum venire voluerint, habemus utique regulam veritatis, quam Dominus præcepto divino mandavit apostolis dicens: Ite, in nomine meo manum imponite, dæmonia expellite; et alio loco: Ite, docete gentes, baptizantes eos in nomine P. F. Sp. S. Ergo primo per manus impositionem in exorcismo, secundo per baptismi regenerationem, tunc possunt ad Christi pollicitationem venire." Quibus igitur verbis exorcismum cum baptismate intime conjunxit. Attamen in dubium vocari potest, utrum Christianorum quoque infantes exorcismo ad baptismum eo tempore præpararentur, necne; in locis enim laud. solummodo de ethnicis, iisque, qui ethnicis, opinione illorum, pejores essent, mentio fit. Nec mirandum esset, si infantes Christianorum, quibus jam ex naturali cum ecclesia cognatione sanctitas quædam redundaret, ab ethnicis et hæreticis distinxissent, illosque non a diabolis obsessos cogitassent.

remissionibus ob delicta fragilitatis suæ, adhuc remanentis, attamen sensim evanescentis, haud indigeat, sed semper sub gratia sit, et, simulac intima cum poenitentia istorum delictorum conscius sibi fiat, confidere quoque possit, ea jam continuâ illâ gratiâ condonata esse. E contrario docet, remissionem, regenerationis lavacro acceptam, ad sola antea commissa peccata pertinere, ut, quæ postea commissa sint, ea *bonis operibus* diluantur; qua doctrina abominandæ operum suorum fiduciæ januam aperit. "Cum Dominus," inquit, "sanasset illa, quæ Adam portaverat vulnera, et venena serpentis antiqui curasset, legem dedit sano et præcepit, ne ultra jam peccaret, ne quid peccanti gravius eveniret. Coartati eramus et in angustum innocentiæ præscriptione conclusi, nec haberet, quid fragilitatis humanæ infirmitas atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas divina subveniens, justitiæ et misericordiæ operibus ostensis, viam quandam tuendæ salutis aperiret; ut sordes, postmodum quascunque contrahimus, eleemosynis abluamus. .... Non utique illa delicta, quæ fuerant ante contracta, nam illa Christi sanguine et sanctificatione purgantur. ...... sicut lavacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur, ita *eelemosynis et operibus justis* delictorum flamma sopitur. Et, quia semel in baptismo remissa peccatorum datur, assidua et jugis operatio, *baptismi instar imitata*, Dei rursus indulgentiam largitur."[1]

[1]) De opere et eleem. pag. 187, cfr. Rettberg, libro l. pagg. 397-99. Hæcce opera pro totidem baptismis habuisse videtur; quum igitur baptismum ita quotidie quasi rediate-

Ut baptismus hancce purgationem atque remissionem, nec non sanctificationem efficiat, ex opinione Cypriani et ipsa baptismi aqua, et baptizator

---

grari dicat; eum quoque peccatorem, qui "minora delicta non in Dominum" commiserit, haud "ad communicationem venire posse, nisi prius illi ab episcopo et clero manus fuerit imposita" — Ep. 17, pag. 39 — ajat; in universum denique contendat, "baptisatum gratiam perdere, quam consecutus sit, nisi innocentiam servet" — Testim. lib. 3 pag. 53 — id quod tamen recte intellectum verissimum est —: doctrinam de amissione baptismi latius, quam reliquos patres, eum extendisse crederes. Attamen, quum quotidiana baptismi redintegratio alia res sit, ac recuperatio post plenam ejus amissionem; quum illa peccata, absque dubio solummodo idololatriæ, "gravissimo et extremo delicto," opposita, *minora* vocaverit — constat enim, sola, quæ graviora æstimarentur, peccata effecisse, ut quis communione ecclesiæ privaretur —: amissionem gratiæ, proprie sic dictam, ad sola graviora hæcce pertinere, ni fallor, credidit, inprimis vero ad idololatriam. Hac autem in re crassa ejus superstitio inprimis apparet, quod *infantes* etiam, a parentibus ad idola colenda attractos, baptismum perdidisse docet. "Ac multis," inquit, "proprius interitus satis non fuit. . . . . Ac, ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impositi, vel attracti, amiserunt parvuli, quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti." (De lapsis pag. 125 — Notandum tamen, quod die judicii hos magnam defectionis excusationem habituros putat.) Ceterum absolutione ecclesiæ, rite concessa, — cujus comparationem difficillimam reddere conabatur, usque dum, temporibus coactus, postulatis suis absistebat, vel potius valde ea mitigabat — et martyrio, de quo plura infra, baptismum perditum recuperari docuit

et baptizandus certas habeat proprietates necesse est; qua in doctrina permiram superstitiosarum sententiarum seriem coacervatam videbimus. Primum igitur secundum hanc doctrinam, ipsam aquam Spiritus S. participem esse, necesse est; "peccata enim purgare et hominem sanctificare aqua non potest, nisi habeat Spiritum S.;"[1] hanc autem Spiritus S. communionem magicâ consecrationis formulâ accipit, "oportet ergo, mundari et sanctificari prius a sacerdote aquam, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere."[2] Ut vero consecratio hæcce Spiritum cum aqua communicet, ipse consecrator Spiritus particeps sit necesse est; nam "quomodo mundare et sanctificare aquam potest, qui ipse immundus est, et apud quem Spiritus non est?"[3] Ex eo igitur Spiritus emanat, et magicâ illâ formulâ se cum aqua conjungit. — Quum ideo baptismo summam spiritualem vim vindicare velit, nihiloque minus, totam ejus potentiam de persona baptizante pendere di-

---

1) Ep. 74, pag. 218.

2) Ep. 70, pag. 190. Cfr. suffr. Sedati in Act. Conc. Carth. pag. 233: "In quantum aqua, sacerdotis prece in ecclesia sanctificata, abluit delicta, in tantum, hæreticum sermone velut cancere infecta, cumulat peccata."

3) Ep. 70, pag. 190. Cfr. Ep. 75 (Firmiliani): "Quis est in ecclesia perfectus et sapiens, qui hoc aut defendat, aut credat, quod invocatio hæc nominum (o: P. F. Sp. S.) nuda sufficiat ad remissionem peccatorum et baptismi sanctificationem? Quum hæc tunc utique perficiant, quando et, qui baptizat, habet Spiritum S., et baptisma quoque ipsum non sit sine Spiritu constitutum." pagg. 221-22.

cat[1]; plane incertum reddit, utrum quodcunque baptisma ratum sit necne; quod opus ecclesiæ est, Christi nomine et auctoritate peragendum, singulis hominibus vindicat; pro uno vero mediatore inter Deum hominesque, Dominum nostrum, Jesum Christum, multos mediatores, cæcitate sua deceptus, supponit. Una modo doctrina restabat, qua quidem dubiam istam baptismi conditionem removere, et sanctam hanc initiationem ecclesiæ, solo nimirum ex hujus mandatu illius administrandæ potestatem ducens, rursus vindicare posset; quæ vero eadem totum pravissimum catholicorum systema perficeret, hanc censeo, quod *ordinatio sacerdotalis* ex opere operato sanctam spiritualem vim ad sacramenta rite administranda cum sacerdote communicet. Quam doctrinam re vera quoque eum amplexatum crederes, quum, "post resurrectionem," inquiat, "ad apostolos loquitur (ɔ: Christus) dicens: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos — hoc quum dixisset, inspiravit, et ait illis: Accipite Spiritum S.; si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur. *Unde intelligimus*, non nisi in ecclesia præpositis et in evangelica lege et *dominica ordinatione* fundatis licere baptizare et remissam peccatorum dare."[2] Hic enim statuere videtur, sacerdotali ordinatione easdem ordinato vires donari, quas illis Christi verbis apostolis tributas crederet. Quum vero, quam-

---

1) "Eum solum posse baptizare et remissam peccatorum dare, qui habeat Spiritum S." Ep. 69, pag. 185.
2) Ep. 73, pag. 201.

vis magnam sane vim huic ordinationi adscripserit, eam rursus ex ipsius ordinati indole pendere dicat[1], ut ad subjectivam baptizatoris conditionem iterum reducti simus: necessitatem ordinationis statuendo, novam tantummodo eamque perversam conditionem adjecit, sed magnum illud commodum, quod hac ex doctrina constantiæ systematis, cum damno quidem veritatis, redundare potuisset, si ordinationem ex opere operato absque omni conditione salutarem suam vim exserere dixisset, minime consecutus est. — Cum tot superstitiosis doctrinis hanc denique veram conjungit, quod *baptizandi fides* necessaria conditio sit, sine qua purgare et peccatorum remissionem gratiamque divinam baptizato comparare baptismus non possit; id quod hi loci testantur: "Manifestum est, diabolum in baptismo *fide* credentis excludi, si fides postmodum defecerit, re-

---

1) In ep. 67, pag. 172 non solum, "ordinari nonnunquam indignos," ait, "non secundum Dei voluntatem, sed secundum humanam præsumtionem, et hæc Deo displicere;" sed etiam pag. 171, "in ordinationibus sacerdotum," inquit, "non nisi immaculatos et integros antistites eligere debemus, qui, sancte et digne sacrificia Deo offerentes, audiri in precibus possint, quas faciunt pro plebis dominicæ incolumitate; quum scriptum sit: Deus peccatorem non audit, sed si quis Deum coluerit et voluntatem ejus fecerit, eum audit. Propter quod plena diligentia et exploratione sincera oportet eos ad sacerdotium deligi, quos a Deo constet audiri. ...., omnes omnino ad peccatum constringi, qui fuerint profani et injusti sacerdotis sacrificio contaminati." Ergo eo usque progreditur, ut opera ecclesiastica, ab impio sacerdote administrata, irrita existimet.

gredi[1]. — Etiam gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, *quum postea crediderint*, remissa peccatorum datur[2] — Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in ecclesia *lege et jure fidei* divinam gratiam consecutus."[3] Quod vero nomine fidei non mortuam, sed vivam efficacem, que fidem intelligit, inter permulta alia argumenta haec quoque ejus verba ostendunt: "Ceterum credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere praecepit? Aut unde perveniet ad praemium fidei, qui fidem non vult servare mandati."[4] Dolendum vero, quod fidem baptizandi non pluris, quam fidem baptizatoris, fecisse videtur. "Ubi sit," inquit, "*et dantis et accipientis* fides integra, stare omnia et consummari et perfici posse majestate Domini et fidei veritate (ɔ: apparet)."[5]

Quam autem unicam veram perfecti baptismi conditionem, ut nuper vidimus, posuit, ei in doctrina de infantium baptismo nullum relinqui locum, quisque facile videt; nihilosecius vero huic easdem plane vires ac perfecto adultorum baptismo tribuit. Quin etiam, remissionem infantibus baptizatis certiorem paene, quam adultis esse, quum illis non

1) Ep. 69, pag. 188.

2) Ep. 61, pag. 161.

3) Ep. 69, pag. 186.

4) De unit. eccl. pag. 105. Cfr. Testim. lib. 3 pag. 59: "Parum esse baptizari et eucharistiam accipere, nisi quis factis et opere proficiat."

5) Ep. 69, pag. 186.

propria, sed aliena modo peccata condonanda sint, statuit. "Si homines," inquit, "impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos et provectos et majores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem, si etiam gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, *cum postea crediderint*, remissa peccatorum datur, et baptismo atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod, secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur *non propria sed aliena peccata*."[1] Non observavit, causam efficientem, fidem dico, quæ illic adesset, hic necessario deesse. Ceterum omnis jam dubitatio de utilitate, quin etiam necessitate pædobaptismi sublata fuit[2], et solummodo, utrum ad similitudinem circumcisionis in octavum diem post infantem natum differretur, an statim administraretur, disputatum est, quum præter rationem, ex similitudine circumcisionis petitam, hanc quoque dilationis defensores afferrent, quod infans primis diebus impurus esset. Quas pravas rationes noster refutavit, et nec circumcisionem

---

1) Ep. 64, pag. 161.

2) "... nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam. Nam cum Dominus in evangelio suo dicat: Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare — quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est." Ibid. pag. 160.

Judaicam, baptismi solummodo umbram, huic leges præscribere debere, nec ullam Dei creaturam impuram dicendam esse, ostendit[1].

Quamquam multas præsas, ut vidimus, baptismi conditiones noster posuit, omnes tamen, quas illius ætatis doctores eruebant, non probavit. Recta enim conscientia ductus, crassam istam superstitionem, quod, qui ægroti aspersione solummodo aquæ, nec immersione in aquam, baptizati essent, plena et integra baptismi gratia non gauderent, refutavit, quæ quidem superstitio eo tempore tam late vigebat, ut non Christiani sed *Clinici* hi homines vocarentur, et Cornelii, episcopi Romani, non puderet, hanc ob causam de Novatiani baptismo diffidere?[2]... Cyprianus autem, multum

---

1) Ep. 64, pag. 158 sqq.

2) In ep., Fabio, episc. Antiocheno, scripta, de Novatiano: "ἀποθανεῖσθαι," inquit, "ὅσον οὐδέ πω νομιζόμενος, ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ, ᾗ ἔκειτο, περιχυθεὶς [τὸ βάπτισμα] ἔλαβεν· εἴ γε χρὴ λέγειν τὸν τοιοῦτον εἰληφέναι." Tum Spiritus Si communicationem cum manus impositione vel confirmatione omnino confundens, ita pergit: "οὐ μὴν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. τούτου δὲ μὴ τυχών, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε;" Ceterum in ecclesia conciliorum decretis sancitum erat, ne quis, ita in articulo mortis, ut dicunt, baptizatus, ad munus sacerdotale accipiendum admitteretur, et id quidem hac de causa, quod jure de vera talis hominis conversione dubitari posset; quam ob rem quoque, quum ipsa Clinici vita hanc suspicionem sustulerat, de generali hacce regula exceptio interdum

interesse inter purgationem corporalem, cui totius corporis lavatione opus sit, et spiritualem, quae, quum fide fiat, baptismo cujuslibet formae, vel immersione vel aspersione facto, si modo vera sit fides, effici possit, praeclare ostendit. "Aestimamus," inquit, "in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina, nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur. Neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali et seculari sordes cutis et corporis abluuntur. . . Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur[1]. In sacramentis salutaribus, necessitate cogente, et Deo indulgentiam suam largiente,

---

facta est; id quod Novatiano quoque contigisse, ex eadem Cornelii epistola apparet. Vid. Euseb. hist. eccl. lib. 6, cap. 43. cfr. Neand. K. G. vol. 1, pagg. 256-59.

[1]) Al: "mens hominis perfidi mundatur" — quae tamen lectio vix vera esse potest, quum minime ablutio fidelis cum ablutione infidelis, sed carnale lavacrum cum spirituali l. l. comparetur. Inde autem, ni fallor, originem duxit, quod librarii, τὸ "pectus" metaphorice explicantes, quomodo sibi invicem opponi possent "pectus credentis" et "mens hominis, per fidei merita mundata", non intellexerint, ideoque, "merita" e textu extrudentes, "per fidei" in "perfidi" mutaverint. In nostra autem lectione aut "pectus" de corpore explicandum est; aut "aliter — aliter —" non sibi invicem opposita sunt, sed utrumque ad antecedentem carnalis lavacri mentionem respicit, eandemque sententiam majore cum pondere tautologiae exprimit.

totum credentibus conferunt divina compendia.....
... Apparet, aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere, et, quando hæc in ecclesia fiunt, ubi sit et dantis et accipientis fides integra, stare omnia et consummari et perfici posse majestate Domini et fidei veritate. Porro autem quod quidem eos, salutari aqua et fide legitima Christi gratiam consecutos, non Christianos sed Clinicos vocant, non invenio, unde hoc nomen assumant...... Ego enim, qui Clinicum de evangelio novi, scio, paralytico illi et debili, per longæ ætatis curricula in lecto jacenti, nihil infirmitatem suam obfuisse, quo minus ad firmitatem coelestem plenissime perveniret..... Et iccirco, quantum fide concipere et sentire nobis datur, mea sententia hæc est, ut Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in ecclesia lege et jure fidei divinam gratiam consecutus. Aut si aliquis existimat, eos nihil consecutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, sed inanes et vacui sunt; non decipiantur, ut, si incommodum langvoris evaserint et convaluerint, baptizentur. Si autem baptizari non possunt, qui jam baptismo ecclesiastico sanctificati sunt, cur in fide sua et Domini indulgentia scandalizentur? An consecuti sunt quidem gratiam dominicam, sed breviore et minore mensura muneris divini ac Spiritus S., ut habeantur quidem Christiani, non sint tamen ceteris adæquandi? Quinimo Spiritus S. non de mensura datur, sed super credentem totus infunditur. Nam si dies omnibus æqualiter nascitur, et si sol super omnes pari et æquali luce diffunditur, quanto magis Christus, sol

et dies verus, in ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur?"[1]. — Quod igitur ad *formam* baptismi attinet, liberalioris ingenii est, sed plenam tamen atque integram a Christo propositam formulam *absolute* necessariam judicat[2]. Neque hoc mirum; potius admirandum, quod jam eo tempore, quum ceteroqui in rerum formis omnes pæne hæserunt, easque cum ipsis rebus confuderunt, fuerunt, qui Christi nomen compendium quasi totius trinitatis esse intelligerent, nec quidquam ergo de baptismi auctoritate detrahi, si illud quoque solum in eo administrando adhibitum esset, quum in eo, recte intellecto, et Patris et Spiritus S. notio inesset. — Quod ceterum in sacra scriptura formula: "in Christi nomen baptizare" — occurrit, argumentum, inde petitum, Cyprianus

---

[1]) Ep. 69, pagg. 185-87. Neumann, episc. Bergensis, Cyprianum hacce in epistola monuisse ait, "ut legitimum susciperent Clinici, si convalescerent, baptismum" (vide: Tidsskrift for Kirke og Theologie, 1834, vol. IV pag. 55). Quum hoc affirmando modo ad verba: "Aut si aliquis existimat ...... convaluerint, baptizentur" — supra laudata respexerit necesse est; ad sententiam ejus refellendam monuisse satis erit, tantum abesse, ut hæcce verba baptismum iteratum suadeant, ut eo sensu afferantur, quo ad absurdum, ut ita dicam, redigantur adversarii. Ita enim, ni fallor, argumentatur: Si clinici verum baptismum non acceperint, simulatque convaluerint, iterum baptizentur necesse est; quod quum fieri non posse per se pateat, baptismum, iis jam concessum, ratum esse apparet.

[2]) Ep. 73, pagg. 205-7.

haud inargute refutare conatur, dicendo nimirum, hocce solummodo ad Judæos respicere, qui Patrem jam crederent. "Alia enim," inquit, "fuit Judæorum sub apostolis ratio, alia est gentilium conditio. Illi, qui jam legis et Moysi antiquissimum baptisma fuerant adepti, in nomine quoque Jesu Christi erant baptizandi, secundum quod in Act. App. Petrus ad eos loquitur — aff. Act. 2, 38-39 —. Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur."[1]

---

[1]) Ibid. — Ut denique, priusquam ad gravissimam et difficillimam de hæreticorum baptismo quæstionem investigandam transeam, omnia minoris momenti absolvam, neque tamen justum ordinem evertam: quid de *sanguinis baptismo*, ut dicitur, noster senserit, hic jam in annotatione proponam. "Nos," inquit, "qui, Domino permittente, primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes et docentes, hoc esse baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius; baptisma, in quo angeli baptizant, baptisma, in quo Deus et Christus ejus exultant, baptisma, post quod nemo jam peccat, baptisma, quod fidei incrementa consummat, baptisma, quod nos, de mundo recedentes, statim Deo copulat. In aquæ baptismo accipitur peccatorum remissa, in sanguinis corona virtutum." (De exhort. martyr. præf. pagg. 168-69.) Hoc sanguinis baptisma ait *quum* baptismatis, proprie sic dicti, vice fungi, ut catechumeni, qui, ob Christi nomen necati, lavacro initiari non potuerint, "non priventur baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo" — (Ep. 73 pag. 208) — *tum* amissam baptismi gratiam plena mensura reddere; qua de

Omnes autem veri perfectique baptismi conditiones, quas hactenus noster statuit, ex ipsius sententia *solummodo sub hac principali conditione*,

---

causa Lapsis, qui tamdiu, quam ab ecclesia postuletur, usque dum rursus in ecclesiam recipiantur, se, intimo desiderio ductos, exspectare posse negent, consilium, quod valde, ni fallor, iis displicuerit, dat, ut nimirum, Christum publice confitentes, martyres fiant. "Qui si nimium properant," inquit, "habent in sua potestate, quod postulant, tempore ipso sibi plus, quam postulant, largiente. Acies adhuc geritur, et agon quotidie celebratur; si commissi vere et firmiter poenitet, et fidei calor prævalet, qui differri non potest, potest coronari." (Ep. 19, pag. 42.) Jam ex ultimis hisce verbis apparet, ne martyrium quidem, ex sententia Cypriani, quidquam perficere, nisi quis *vera fide* ad id subeundum ducatur; id quod fortius etiam, et quidem pulcherrime his verbis exprimit: "Dilectionis et charitatis foedera incorrupta et inviolata servari mandavit (ɔ: Christus). Exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem ..... ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed poena perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest." (De unit. eccl. pagg. 113-14.) Quum autem veram fidem solummodo in ecclesia catholica esse, ut infra videbimus, credat, omnesque hæreticos et schismaticos veræ virtutis plane expertes habeat, "neque hoc baptisma hæreticis prodesse," ait, "... nisi si hæreticorum patroni et advocati hæreticos, in *falsa* confessione Christi interfectos, martyres prædicent et contra apostoli contestationem, qui nihil eos, quamvis exustos et occisos, dicat posse proficere, gloriam iis et coronam assignent." (Ep. 73, pag. 207. Quæ eadem potentiæ martyrii restrictio in priore quoque loco, si integer citatur, inest.)

ut in vera ecclesia baptisma susceptum sit, adesse possunt. Quum enim omnes (ita fere concludit) efficacitate Spiritus S. ita nitantur, ut "aut Spiritum necesse sit concedant esse illic, ubi baptisma esse dicunt, aut nec baptisma esse, ubi Spiritus non est, quia baptisma esse sine Spiritu non potest;"[1] Spiritus vero in sola ecclesia insit, nec extra spirituale Christi corpus habitare possit: "separari a se et dividi omnino non possunt baptisma et ecclesia; qui occupare baptisma prior potuit, et ecclesiam pariter occupavit."[2] *Ecclesiæ igitur baptismus "legitimus, verus et unicus" est*[3], unde apparet, "neminem foris baptizari extra ecclesiam posse, quum sit baptisma unum in sancta ecclesia constitutum."[4] Quam rem ut omnibus probet, totus est in argumentis eruendis; qua de causa primum illud diligentissime explicat, extra ecclesiam nec *baptizatorem* nec *baptizandum* necessariis facultatibus ad baptismum dandum accipiendumve instructum esse, quippe quum *hic* vera fide, ὀργάνῳ λεπτικῷ perfecti baptismi, necessario careat[5], *ille*

---

1) Ep. 74, pag. 213.

2) Ep. 73, pag. 209. Cfr. 75, pag. 225 (Firmil.): "Qui baptizantur, complent sine dubio ecclesiæ numerum; qui autem baptisma eorum probat, de baptizatis et ecclesiam illic esse confirmat."

3) Ep. 73, pag. 207.

4) Ep. 70, pag. 189.

5) "Si enim secundum fidem suam quis accipere aliquid foris extra ecclesiam potuit, utique id accepit, quod credidit; falsum autem credens, verum accipere non potuit; potius adultera et profana, secundum quod credebat, acce-

neque Spiritus S. communicationem, neque legitimam ordinationem[1] accipere potuerit, quo fiat, ut nec aquam ad catechumenum baptizandum, nec oleum ad baptizatum unguendum consecrare[2], nec preces Deo gratas pro eo effundere, nec ipsum Spiritum manus impositione cum eo communicare[3], nec ullum denique baptismi ritum administrare

pit." Ep. 73, pag. 200. Cfr. "Unitatem (ecclesiæ) qui non tenet, Dei legem non tenet; non tenet Patris et Filii *fidem*, et veritatem non tenet ad salutem." De unit. eccl. pag. 109.

[1]) "Plane episcopi non de voluntate Dei fiunt, qui extra ecclesiam fiunt; sed contra dispositionem et traditionem ecclesiæ fiunt. ...... per Esaiam quoque Spiritus S. clamat et dicit: Væ vobis, filii desertores! hæc dicit Dominus: Habuistis consilium et non per me, et fecistis conventionem non per spiritum meum, adjicere peccata super peccata." Ep. 59, pag. 129. Cfr. Ep. 69, pag. 181 et De unit eccl. pag. 111.

[2]) "Quomodo autem mundare et sanctificare aquam potest, qui ipse immundus est, et apud quem Spiritus non est? —" et infra: "Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut, accepto chrismate, i. e. unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit. Unde baptizati unguntur oleo, in altari sanctificato; sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec ecclesiam." Ep. 70, pag. 190.

[3]) "Baptizato quam precem facere potest sacerdos sacrilegus et peccator (qui extra ecclesiam est, ex opinione Cypriani necessario peccator est), cum scriptum sit: Deus peccatorem non audit? —" et infra: "Si baptizare potuit, potuit et Spiritum S. dare; si autem Spiritum S. dare non potest, qui foris constitutus cum S. Spiritu non est, nec baptizare venientem potest." Ep. 70, pag. 191.

possit; nam "qui potest dare, quod ipse non habeat, aut quomodo potest spiritalia agere, qui ipse amiserit Spiritum S.?"[1] — Deinde, minime regenerari ideo nec baptizari quemquam extra ecclesiam posse, contendit; nam "manifestum est... eos, qui non sunt in ecclesia Christi, inter *mortuos* computari, nec posse ab eo vivificari alterum, qui ipse non vivat; quando una sit ecclesia, quæ, vitæ æternæ gratiam consecuta, et vivit in æternum et vivificat Dei populum;"[2] et necesse esse declarat, si quis coetui, qui ad ecclesiam non pertineat, baptizandi jus vindicaverit, idem concedat quoque, in eodem coetu omnia beneficia divina, ad quæ accipienda baptismo homines initientur, baptizatos consequi posse; quum enim "inde (ɔ: a baptismo) incipiat omnis fidei origo, et ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio, et purificandis ac vivificandis Dei servis divina dignatio ... si baptizari quis ... potuit, utique remissam peccatorum consequi potuit; si peccatorum remissam consecutus

---

1) Ep. 70, pag. 191.

2) Ep. 71, pagg. 193-94. Cfr. Ep. 74, pag. 218: "Si autem in lavacro, i. e. in baptismo, est regeneratio, quomodo generare filios Deo hæresis per Christum potest, quæ Christi sponsa non est? Ecclesia est enim sola, quæ Christo conjuncta et adunata spiritaliter filios generat, ... apostolo dicente: Christus dilexit ecclesiam sqq. (Eph. 5, 25-26). Si igitur hæc est dilecta et sponsa, quæ sola a Christo sanctificatur, et lavacro ejus sola purgatur, manifestum est, hæresin, quæ, cum sponsa Christi non sit, nec purgari, nec sanctificari lavacro ejus possit, filios Deo generare non posse."

est, et sanctificatus est, et templum Dei factus est."[1] Tandem hanc, per se perspicuam, sententiam proponit, eos, "qui in ecclesia non sint, imo et contra ecclesiam faciant, baptizare baptismo ecclesiæ non posse;"[2] et summo jure, "frustra contendunt," inquit, "baptizari et sanctificari illic aliquem salutari baptismo posse, ubi constet baptizantem baptizandi licentiam non habere."[3]

Licet igitur in eo Cyprianus noster erraverit, quod, quæ in solam invisibilem ecclesiam, cujus notionem minime percepit, quadrent, ea visibili ecclesiæ vindicaverit, quippe quum hanc *solam* Spiritum S. et veram regenerandi vim possidere dicat; licet quæstionem de conditionibus *perfecti* baptismi a quæstione de conditionibus, sub quibus, nulla perfectionis ejus ratione habita, *ratum* judicandum sit baptisma, non distinxerit[4], et plus

---

[1]) Ep. 73, pag. 203. Cfr. 74, pag. 213.

[2]) Ep. 73, pag. 203.

[3]) Ep. 69, pag. 184. Cfr. suffr. Felicis ab Amaccura, in Conc. Carth. pag. 236: "Quando danti locus non est, utique nec accipienti prodest (ɔ: baptisma)."

[4]) Has quæstiones accurate discernendas esse nemo sane negabit; *perfectus* enim is baptismus dicitur, qui, dum communioni cum P. F. Sp. S. homines *initiet*, ob intimam cum spirituali regeneratione conjunctionem, hujus communionis simul *participes eos reddat*, ideoque quos in ecclesiam visibilem introducat, eosdem invisibilis ecclesiæ membra faciat; *ratus* autem quicunque baptismus dicendus est, qui *legitime* administratus fuerit, ut in ecclesia visibili valeat, ideoque quum omnia hujus ecclesiæ membri officia baptizato imponat, tum omnia ejusdem jura, si officia servaverit, ei vindicet; unde sequitur, ut imper-

igitur, quam par sit, ut ratum habeatur, postulaverit; licet tandem argumenta permulta e falsis de conditionibus baptismi sententiis petierit; hoc

---

fectus quoque baptismus ratus esse possit. — Quod si quæritur, quænam indicia sint, ex quibus cognoscere liceat, utrum baptisma ratum sit necne, hæc solummodo externa esse posse, quum de operis externi in coetu visibili auctoritate agatur, et ex ipsius baptismatis ratione elicienda, facile est intellectu. Quum ergo baptisma, ut jam in prolegomenis observavimus, actio sit, quam Christus secundum divinam suam potestatem, ut eâ homines in ecclesiam recipiantur, instituerit, cujusque administrandæ officium ecclesiæ imposuerit, et actio igitur ecclesiæ sit nomine et auctoritate Christi secundum ipsius institutionem peragenda: ut ratum habeatur, necesse est *ab ecclesia administratum fuerit*, quæ sola ejus administrandi potestatem acceperit, *et secundum Christi institutionem peractum fuerit*, quæ nisi servatur, nec servatur officium ecclesiæ impositum. Ut ab ecclesia administratum judicetur, necesse est ab homine peractum fuerit, cui ejus peragendi potestatem ecclesia mandaverit. Minime tamen opus est, ut talis in ecclesia ordinatus sit; licet enim hæcce, quo certior sit, quod omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fiant, in universum statuerit, ut sacramenta per eos administrentur, quos ipsa maxime idoneos æstimans ad hæcce opera perficienda elegerit et ordinaverit; haud tamen negare potest, omnes veros Christianos, utpote quorum sit sacerdotium spirituale eoque ipso quum officia tum jura sacerdotalia, ad officia sacerdotis præstanda non solum idoneos esse, sed etiam obstrictos, quoties aliquid ad hominis cujuscunque salutem, salvo tamen, prout fieri possit, ecclesiæ ordine, eo conferre valeant; unde sequitur, ut his omnibus baptismi administrandi potestas ecclesiæ auctoritate concessa

tamen verum est, extra ecclesiam baptisma ecclesiæ conferri non posse, quum, qui ipse extra ecclesiam est, in eam aliorum recipiendorum jus non

---

sit. Quum vero ecclesia visibilis unumquodque membrum suum, quod non amplius ob infirmiorem ætatem catechumenis adnumeretur, nec ob clara indignitatis suæ documenta jura membri ecclesiastici amiserit, verum Christianum æstimet necesse sit; efficitur, ut unicuique tali suo membro baptizandi potestatem concesserit. Ei vero, qui ipse extra ecclesiam est, hanc potestatem ecclesia minime delegare potest; si quis igitur extra ecclesiam baptisma administraverit, hoc irritum judicandum esse apparet. — Ut autem secundum institutionem Christi administratum sit, necesse est, prius *formam* actionis, deinde *intentionem*, qua peracta sit, cum institutione salvatoris consensisse; actio enim symbolica ex intentione, qua peragitur, significationem trahit, ut, licet forma quoque actionis eadem sit, si intentio plane alia, etiam actio alia sit. — Ad *formæ* cum institutione Christi consensum prius opus est, ut *aqua* in baptismate adhibeatur, alias enim notio purgationis, baptismo propria, minime appareret; utrum vero quis aquæ totus immergatur, an solummodo ea aspergatur, nullius momenti est; fundamentalis enim symboli notio eadem est, sive quis a peccato *emori* sive ab eo *purgari* significetur — deinde, ut cum *verbo divino* de initiatione in communionem P. F. Sp. S. baptisma conjunctum sit, hoc enim Christus præcepit, quum solemnibus illis verbis — Mth. 28, 19 — baptisma instituit. Optimam divini hujus verbi formam servamus, si formulam, ab ipso Christo propositam, servamus; tum enim certo scimus, omnem humanum errorem remotum esse. *Absolute* tamen necessaria hæc formula non videtur, idem enim sensus vel breviore vel ampliore formula exprimi potest; nec demonstrari potest, aut Christum ipsum, hanc formulam

habeat; et duo igitur, quæ proposuit, consectaria: Si quis coetus alicujus baptisma ratum judicaverit, ipsum quoque coetum ad ecclesiam pertinere agnoscat, necesse est — et: Si quis in coetu aliquo

---

eisdem verbis reddendam esse, statuisse, aut apostolos hoc fecisse, qui contra breviore formula: "εἰς ὄνομα Χριστοῦ" — baptizasse videantur. Ineptissimum tamen esset, si ecclesia ob incertam hanc opinionem formulam ab ipso salvatore propositam mutaret; hoc solummodo tenendum, baptisma non irritum habendum esse, si alia etiam formula ejusdem sensus usurpata fuerit. (Cfr. Schleiermacher: Der chrl. Glaube II, pag. 409.) Tandem, ut supra dixi, necesse est, *intentio* actionis cum institutione Christi consentiat, quod fit, quum eo consilio actio peragitur, ut verum ecclesiæ baptisma sit, quo quis in ecclesiam recipiatur. In hoc autem statuendo *minime subjectivam* vel baptizatoris vel baptizandi intentionem spectamus; non baptizatoris, quia non ipsius actio est, sed ecclesiæ per eum, quo fit, ut subjectiva ejus sententia auctoritatem baptismi infringere minime possit; non baptizandi, quæ quidem habita perfectionis baptismi ratione maximi momenti est, habita vero auctoritatis ejus ratione, nullius sane momenti, quum alias pædobaptismus semper irritus habendus esset; solummodo autem *objectivam*, ut ita dicam, sive publice declaratam intentionem spectamus, quod scilicet actio eo sensu peragitur, ut verum ecclesiæ baptisma sit. Quam intentionem si necessariam non ducimus, sequitur, ut quodcunque baptisma, quod quis vel ludendi vel ecclesiæ irridendæ causâ perfecerit, ratum habendum sit. — Hæc doctrina cum catholicorum dogmate, quod subjectiva baptizatoris intentio necessaria sit, non confundenda est, nisi forte illi, quum intentionem "actualem" postulent, eandem "objectivam", quam commemoravi, exprimere voluerint.

ratum baptisma accipere potuerit, in eodem quoque, ut in vera ecclesia, omnia divina, per Christum nobis concessa, beneficia consequi possit, necesse est — refutari minime possunt.

Hæc ergo Cypriani sententia: "ecclesiæ baptismus legitimus, verus et unicus est," per se spectata, ab omni parte vera est; *in eo autem cardo rei vertitur, quamnam ecclesiæ notionem noster amplexatus fuerit;* id quod diligenter nobis investigandum est.

Invisibilem esse, nullis visibilibus limitibus circumscriptam, ecclesiam, coetum nimirum regeneratorum, *quatenus* regenerati haud amplius mundo addicti, sed vera Spiritus S. instrumenta sint, eamque solam unam, sanctam, individuam dicendam esse, ut supra jam dixi, minime intellexit, imo nullam aliam ecclesiam, quam visibilem, prout jam annis delabentibus se formaverat, cognovit. Quod si veram hujus naturam percepisset; si solum sanctum Dei Christique spiritum esse, qui societatem hominum ecclesiam Dei, spirituale Christi corpus faciat, vidisset; si tandem certa visibilia inhabitationis hujus spiritus indicia veram Christi prædicationem rectamque sacramentorum administrationem esse intellexisset, et coetus ergo omnes, in quibus fides Christi, quod ad fundamentales ejus articulos, recte prædicaretur, et sacramenta cum fundamentali ipsorum fine, procreationem dico et conservationem vitæ vere Christianæ, consentienter administrarentur, ad hanc ecclesiam pertinere dixisset; extra eam baptismum conferri non posse jure contendisset. Tum vero simul opus

fuisset, ut *imperfectam* ecclesiæ visibilis conditionem agnovisset, atque non solum in iis, qui nondum regenerati essent, τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου habitare, sed in regeneratis etiam, licet vis ejus infricta semper magis tolleretur, efficacitatem suam adhuc exhibere intellexisset, quum regeneratio non magica commutatio sit, qua tota cogitandi, sentiendi, appetendi ratio prorsus subito exuatur, sed Spiritus S., novæ vitæ principium, totum hominem regeneratum modo *sensim et paulatim*, quæ e vetere vita in eo remanserint, eradicando sanctificet. Quod si vidisset, concessisset quoque necesse esset, in regeneratorum etiam coetu permultas diversas, plus minus imperfectas, sententias de fidei Christianæ articulis nec non de ethicis Christi præceptis progerminare posse, et has diversitates diversas quoque sectas necessario parituras. Nam intima modo regenerati conscientia de sancta ipsius cum Deo communione, et intima voluntatis ejus ratio, qua Deum appetat et mundum aspernetur, a Spiritu S. procreatæ omnino puræ et omnibus eædem sunt; quoties autem homines secundum hanc conscientiam distinctas de rebus, ad religionem pertinentibus, notiones formant, et illa voluntate ducti agunt, et notiones et actiones imperfectæ et diversæ necessario sunt; tota enim uniuscujusque cogitandi, sentienti, agendi ratio, in iis efficiendis efficax, ut supra jam dixi, veteris vitæ impuritate inquinata est, et pro cujusque diversa natura, ab aliorum plus minusve diversa. Quæ quum ita sint, hæ diversitates diversas quoque sectas, quum, qui invicem consentiant,

externo quoque vinculo inter se conjungi, externisque limitibus a secus sentientibus separari oportent, ut, quæ vera credant, incorrupta possideant, et sine ullo impedimento perfectius semper excolant, necessario pariunt; quæ omnes tamen sectæ, licet diversum perfectionis gradum obtinuerint, ad unam eandemque ecclesiam pertinent, quum eodem spiritu ductæ, eundem salvatorem, diversis quidem modis, prædicent, eademque sacramenta, diversa quidem ratione, sed ita tamen, ut fundamentalis eorum finis servetur, administrent. — Cyprianus vero fundamentalia a non-fundamentalibus minime distinguebat, totam autem ecclesiæ catholicæ formam ad veram ecclesiæ notionem necessario pertinere credebat, et omnia attributa, quæ soli invisibili ecclesiæ competunt, visibili huic, utpote quam solam cognosceret, vindicans, hanc *unam*, *sanctam*, *individuam*[1] vocabat, quo factum est, ut

---

1) "Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fæcunditatis extenditur; quo modo solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum, tenaci radice fundatum; et, cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit; a fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur; ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit, unum tamen caput est, et

omnes omnino hæreses et schismata, quæ externa diversitate ab ecclesia catholica sejuncta essent, una cum illa ad veram ecclesiam pertinere negaret. — Ut autem demonstraret omnes hosce coetus a vera ecclesia jure distingui, alia hujus veritatis indicia, quam fidei prædicationem et sacramentorum administrationem, in fundamentalibus veram rectamque, erueret, quum in complures quoque hæreses et schismata hæc indicia quadrarent, necesse erat. Quod ut faceret, ad originem ecclesiæ rediit; bene enim intellexit, idem, quod ecclesiam peperisset, eam adhuc continere. Contra vero, ut supra jam adumbravimus, non intellexit, totam esse spiritualem Christi efficacitatem ipsumque ejus spiritum, qui primum regeneratorum coetum conderet, eosque, qui interno vinculo, eâdem scilicet in Christum fide, conjuncti essent, externo quoque vinculo, eâdem scilicet hujus fidei in evangelio prædicando et sacramentis administrandis confessione, copularet, ut ipse jam in hoc coetu divinam suam efficacitatem exhiberet, eumque quum semper perfectius penetraret, tum semper latius extenderet: sed externam solam ecclesiam cognoscens, non aliam, quam externam, ejus fundationem agnovit.

Apostolos igitur ecclesiæ fundamentum æstimat, non quod primi per sanctum Christi spi-

---

origo una, et una mater, fæcunditatis successibus copiosa. Illius foetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur." De, unit. eccl. pag. 108. Quam vera hæc omnia essent, si de invisibili, sancta, perfecta ecclesia, nec de visibili, imperfecta ea prædicasset!

ritum sint regenerati, sed quod primi solemni ejus verbo sunt ordinati, quum prius Petro, deinde omnibus apostolis ligandi solvendique potestatem dedit[1]; eandemque ordinationem, quæ

---

[1]) "Loquitur Dominus ad Petrum — aff. Mth. 16, 18 — et iterum eidem post resurrectionem dicit: Pasce oves meas. Super unum ædificat ecclesiam suam; et quamvis apostolis omnibus parem potestatem tribuat et dicat — aff. Joh. 20, 21-23 — tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem, ab uno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia una monstretur." (De unit. eccl. p. 106.) Ea de causa Romanum quoque episcopum, qui cathedram Petri obtinuerit, episcoporum primum esse censet (id quod ex magnificis nominibus, quibus ecclesiam Romanam ornat, apparet — "Deus unus," inquit, "et Christus unus et una ecclesia et cathedra una, super Petrum Domini voce fundata" — Ep. 43, pag. 83 — et Ep. 59, pag. 136 "Petri cathedram et ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est", eam appellat); tantum autem abesse contendit, ut ceteris episcopis hicce dominetur, ut primus inter pares solummodo sit, cui ceteri potestate omnino pares sint. "Neque enim quisquam nostrum," inquit, "episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suas adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest judicare." (Act. Conc. Carth. pag. 229, cfr. Epp. 71, pag. 194 et 74, pag. 215.) Ne igitur una et individua ecclesia, tot præpositis fundata, dilaceretur et maculetur, episcopos oportere arctissime inter se conjunctos esse, affirmat. "Unitatem," inquit, "a Domino et per apostolos nobis suc-

ita ecclesiam fundaverit, eam adhuc servare putat, quum per totam episcoporum seriem semper propagetur, quo fiat, ut *cujusque temporis episcopi verum ecclesiæ fundamentum* semper sint. "Dominus noster," inquit, "cujus præcepta metuere et observare debemus, episcopi honorem et *ecclesiæ suæ rationem disponens*, in evangelio suo loquitur et dicit Petro — aff. Matth. 16, 18-19 —. Inde *per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et ecclesiæ ratio decurrit, ut ecclesia super episcopos constituatur.*"[1] — Quum igitur a fundamento suo ecclesia divelli non possit (ita fere concludit), extra communionem cum episcopis, rite ordinatis, super quos constituta sit, nullam esse apparet; nam "aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare et unum sacerdotium, non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit.[2] — Habere namque, et tenere ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in ecclesia non est. Foris enim non esse ecclesiam, nec scindi adversum se et dividi posse, sed inse-

---

cessoribus traditam, quantum possimus, obtinere curemus — Ep. 45, pag. 88 — quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in ecclesia præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum et indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat; nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur; ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur." De unit. eccl. pag. 108.

[1]) Ep. 33, pag. 66.

[2]) Ep. 43, pag. 83.

parabilis et individuæ domus unitatem tenere, manifestat scripturæ divinæ fides."[1] — Qua de causa omnibus sectis, ab hocce fundamento avulsis, provocatio ad fidei ipsarum veritatem nil omnino prodest; quum enim ex ademptione communionis episcoporum jam a priori appareat, eas ad ecclesiam non pertinere, objectivæ fidei veritas nil ad rem facit; quod autem veram subjectivam fidem non habeant, per se patet, quum simul cum ecclesia Spiritus quoque S., veræ fidei procreatoris, expertes sint. "Quod vero," inquit, "eundem, quem et nos, Deum Patrem, eundem Filium, Christum, eundem Sp. S. nosse dicuntur, nec hoc adjuvare tales potest. Nam et Chore et Dathan et Abiron cum sacerdote Aaron et Moyse eundem Deum noverant, pari lege et religione viventes, unum et verum Deum, qui colendus et invocandus fuerat, invocabant. Tamen, quia loci sui ministerium transgressi, contra Aaron sacerdotem, qui sacerdotium legitimum dignatione Dei atque ordinatione perceperat, sacrificandi sibi licentiam vindicaverunt, divinitus percussi, poenam statim pro illicitis conatibus penderunt[2]. — An esse sibi cum Christo

---

1) Ep. 69, pag. 181. In allegoricis hujus unitatis argumentis coacervandis totus est. Et agnus paschalis, in una domo comedenda, et domus Rahab, sola servanda, et arca Noachi, et tunica Domini, quæ non divisa est, et complura Cant. Cant. effata multaque alia argumentis ei serviunt.

2) Ep. 69, pag. 183. Quibuscum verbis minime quidem alius Cypriani locus consentit, ubi, "considerare debemus," inquit, "fidem eorum, qui foris credunt, an secun-

videtur, qui adversus sacerdotes Christi facit, qui se a cleri ejus et plebis societate secernit? Arma ille contra ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat. Hostis altaris, adversus sacrificium Christi rebellis, *pro fide perfidus*, pro religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, contemtis episcopis, et Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare."[1] Quibus ex omnibus sequitur, ut "*omnes omnino hæretici et schismatici nil habeant potestatis ac juris*,"[2] nec igitur baptizare baptismo ecclesiæ possint, quum, communione episcoporum ecclesiæ catholicæ privati, ipsi ad ecclesiam non pertineant[3]. "Non abluuntur illis (ɔ: hæreticis, in baptismo)

---

dum eandem fidem possint aliquid gratiæ consequi. Nam si fides una est nobis et hæreticis, potest esse et gratia una. Si eundem Patrem, eundem F., eundem Sp. S., eandem ecclesiam confitentur nobiscum Patripassiani, Anthropiani sqq.: potest illic esse baptisma unum, si est fides una." (Ep. 73, pag 200.) Quod vero hæcce doctrina in totum Cypriani systema minime quadrat, quum plane aliud, quam quod semper nobis ante oculos sistat, ecclesiæ fundamentum ponat, id facile est intellectu.

1) De unit. eccl. pag. 116.

2) Ep. 69, pag. 180.

3) Cfr. suffr. Pelagiani, in Act. Conc. Carth. pag. 238: "Aut ecclesia ecclesia est, aut hæresis eccl. est. Porro si hæresis eccl. non est, quomodo esse apud hæreticos baptisma ecclesiæ potest?" — et Donati, ibid. pag. 239: "Si est, qui dicat, esse apud hæreticos baptismi gratiam, ante est, ut ostendat et probet, esse illic ecclesiam."

homines, sed potius sordidantur, nec purgantur delicta, sed imo cumulantur. Non Deo nativitas illa, sed diabolo filios generat. Per mendacium nati, veritatis promissa non capiunt. De perfidia procreati, fidei gratiam perdunt. Ad pacis præmium venire non possunt, qui pacem Domini discordiæ furore ruperunt."[1] Quum ergo baptizati non sint, licet baptizati "videantur", quando in ecclesiam catholicam recipi velint, vero ecclesiæ baptismo initientur necesse est. Qui autem in ecclesia catholica rite baptizati postea ab ea defecerint, et ad hæreses vel schismata transierint, eos, quando ad ecclesiam revertantur, non iterum baptizandos esse, quum verum baptisma jam acceperint, per se patet; "ut, quos constet hic baptizatos esse, et a nobis ad hæreses transisse, si postmodum, peccato suo cognito et errore digesto, ad veritatem et matricem redeat (*sic*), satis sit in poenitentiam manum imponere, ut, quia ovis fuerat, hanc ovem abalienatam et errabundam in ovile suum pastor recipiat. Si autem, qui ab hæreticis venit, baptizatus in ecclesia prius non fuit, sed alienus in totum et profanus venit: baptizandus est, ut ovis fiat, quia una est aqua in ecclesia sancta, quæ oves faciat."[2]

Neminem fallit, Cyprianum hic recte conclusisse et nihilosecius sententiam, omnibus nominibus falsam, proposuisse, quum e falsis præmissis conclusionem duxerit. Quæ igitur sententia, per

---

[1]) De unit. eccl. pag. 112.
[2]) Ep. 71, pag. 194.

se spectata, vera est, quod nimirum extra ecclesiam ratum baptisma conferri non possit, ea, quum in hanc mutatur: extra ecclesiam catholicam, super episcopos rite ordinatos fundatam, baptisma conferri non potest — ob pravam ecclesiæ definitionem falsa fit. Quicunque vero eandem, quam Cyprianus, ecclesiæ notionem amplexetur, eandem quoque de hæreticorum baptismo doctrinam probet, nisi sibimet ipsi contradicat, necesse est. — Hoc tamen non factum esse, quin etiam majorem ecclesiæ catholicæ partem, Stephano, episcopo Romano, duce, licet in notione ecclesiæ constituenda cum Cypriano plane consentiret, nihilominus supra laudatam hujus notionis consequentiam rejecisse, et baptisma hæreticorum ratum habuisse, notissimum est. Quibusnam autem argumentis inconstantem hanc doctrinam probare conati sint, ex scriptis adversariorum, qui ea incorrupta minime, ni fallor, proposuerint, sed consequentias ex iis ducendo haud parum deformarint, difficillimum erit ad dijudicandum. Magno tamen commodo nobis est, quod unum ipsorum opus, liber ignoti auctoris "de baptismo hæreticorum" sive "de rebaptismate", ex quo, licet plerique id despexerint, certissima doctrinæ eorum notitia meâ opinione elici potest, nobis relictum est. Hujus igitur doctrinam prius tractabimus, ut deinde, firmo hocce fundamento nisi, omnia alia, a Cypriano ceterisque allata, interdum vero corrupta, Stephani ejusque asseclarum effata ponderemus, et cum refutatione Cypriani ac ceterorum comparemus.

De Baptismo Hæreticorum Liber.[1]

Ex multis indiciis ignotum hujus libri auctorem circa tempora ipsius de rebaptismate certaminis eum scripsisse apparet; non solum enim videmus, eum persecutionum tempore vixisse, sed ipsam quoque rem, de qua agitur, "novam quæstionem"[2] appellat; adversariis suis pravas rationes subdere conatur, id quod potius est viri, ardore certaminis incensi, quam post certamen finitum quiete rem investigantis; unum inprimis eorum pungit, ita tamen, ut nomen ejus omittat[3], quod superfluum atque ineptum esset, si hicce diu jam mortuus, et sententia ejus reprobata fuisset; optat tandem, ut ipse hic libellus ad quæstionem dijudicandam et certamen sedandum aliquid conferat[4],

---

[1]) In ed. opp. Cypriani — Oxon. 1682.

[2]) Pag. 22, col. 1.

[3]) Ibid.: "... ubi (ɔ: in oppositione contra ecclesiam) nullus alius fructus reperiatur, nisi hic solus, ut unus homo, quicunque ille est, magnæ prudentiæ et constantiæ esse apud quosdam leves homines inani gloria prædicetur, et hæreticorum stupore præditus, quibus hoc unicum perditionis solatium est, si non soli peccare videantur, errores et vitia universarum ecclesiarum correxisse apud simillimos sui et compares celebretur." Quis non videt, ipsum Cyprianum his verbis significari? (Cfr. Neand. K. G. vol. I, pag. 380, not. 1.) Nec illo solo loco Cyprianum pungere videtur, sed hoc quoque, ubi de martyrii vi verba faciens, "nemo," inquit, "sibi blandiatur, qui occasionem amiserit gloriosæ salutis, si forte se ab ea excluserit propria sua culpa." Pag. 28, col. 1.

[4]) "Quantum possumus, connitimur hujus tractatus sta-

ut minime dubitari possit, quin tempore certaminis eum scripserit.

Quod si quærimus, quamnam ecclesiæ notionem tenuerit, eandem plane, quam Cyprianum, ut jam supra de omnibus hujus viri adversariis diximus, eum quoque tenuisse inveniemus, et idcirco negasse, extra ecclesiam catholicam Spiritum S. efficacitatem suam exserere, ac fidem veram inveniri posse. "Quia Spiritus S. extra ecclesiam non sit, fidem quoque," ait, "non solum apud hæreticos, verum etiam apud eos, qui in schismate constituti sint, sanam esse non posse."[1] Quamvis vero in notione ecclesiæ constituenda ipsam internam divinam rem cum externa ejus forma ita confuderit, ejusdem tamen confusionis, quod ad regenerationem et baptismum attinet, haud reus est, imo *notionem perfecti baptismi a notione baptismi solummodo rati optime distinxit;* nec eum fefellit, salutem hominis opus esse *solius Spiritus S.*, qui *vera fide* se cum homine communicet atque animum ejus emundet, dum aqua *per se* solummodo corpus purget[2]. Hanc Spiritus S. communi-

---

tum demonstrare et turbulentis hominibus, ut vel nunc suum negotium agere incipiant, persuadere, consecuturis etiam plurimum nobis, si hoc quoque consilio sano tandem voluerint acquiescere." Pag. 22, col. 2.

1) Pag. 27, col. 1.

2) "Fide emundari corda, Spiritu autem ablui animas; porro per aquam lavacri corpora." Pag. 30, col. 2. Fortasse tamen ut Irenæus, Tertullianus, Origines etiam, hanc corporis purgationem *mysticam* intellexit. Nec ne-

cationem externis operibus non necessario obstrictam esse — nam "Spiritus, ubi vult, spirat," et, "cessante baptismate aquæ, incumbit super eos, qui credunt"[1] — et nihilosecius omnia veri spiritualis baptismi bona homini comparare, bene intellexit. "Hoc non erit dubium," inquit, dum narrationem, in Act. App. 10, 44. obviam, affert, "in Spiritu S. homines posse sine aqua baptizari; sicut animadvertis baptizatos hos prius, quam aqua baptizarentur, ut satisfieret et Johannis et ipsius Domini prædicationibus, quandoquidem hæc[2] sine manus impositione apostolorum et sine lavacro, quod postea adepti sunt, gratiam repromissionis acceperint, et, emundatis cordibus eorum, Deus per fidem ipsorum etiam remissionem peccatorum simul iis largitus sit."[3] Sæpissime tamen, ex sententia auctoris, externo opere, internæ spiritualis efficacitatis symbolo, baptisma dico, Spiritus se cum hominibus communicat; quod baptisma "*unum*" quidem est, quum Spiritus unus sit, sed "*speciem trifariam*" habet, quum unus idemque Spiritus non minus sanguinis, quam aquæ, aut Spiritus, ut dicitur, baptismate se cum homine credente communicare possit; ex verbis enim Johannis — Ep. 1,

---

gari potest, quin fidem solâ ipsius Spiritus S. efficacitate procreari non plane intellexisse videatur.

1) Pag. 29, col. 2.

2) Fortasse *heic* legendum.

3) Pag. 24, col. 1. Cfr. supra: "Credentibus hominibus invenitur Spiritus S. a Domino datus sine baptismate aquæ."

5, 6-7. — apparet, "et aquam præstare solitam, et sanguinem proprium hominibus præstare Spiritum solitum, et ipsum quoque Spiritum præstare Spiritum solitum. Nam cum effundatur aqua, sicuti et sanguis, Spiritus etiam effusus sit a Domino super omnes, *qui crediderunt*: utique et aquâ et proprio nihilominus sanguine, tunc deinde et Spiritu S. possunt homines baptizari."[1] Minime vero, ut jam ex supra dictis concludere licet, quicunque baptismus, sed perfectus solus hocce Spiritus donum baptizato comparat, etiamsi nulla alia baptismi species ei conte[illegible]; imperfectus autem baptismus, nisi alia eaque perfecta specie postea suppletur, baptizatum salutis participem minime reddit; nam "manifeste apparet, illum baptismum solum prodesse, cui possit etiam Spiritus S. inesse."[2]

Quod igitur ad aquæ baptismum attinet, non dubitat auctor, quin, qui eo perfecte baptizatus sit, etiamsi moriatur, antequam Spiritus baptismum, impositionem scilicet manus episcopi, acceperit, salutem nihilominus consequatur, quum "consummatum mysterium fidei (ɔ: perfectus aquæ baptismus), qua necessitas intervenit, salutem adimere non possit *credenti et poenitenti homini*. — Aut si dicis," ita pergit, "hujusmodi hominem salvum non posse fieri, omnibus episcopis salutem adimimus, quos ita periculis quam certissimis adstringis, ut omnibus, qui sub cura eorum agunt,

---

1) Pag. 29, col. 1.
2) Pag. 23, col. 1.

et hac atque illac dispersis regionibus ipsorum infirmantur, per semetipsos subvenire deberent .. .... ne sanguis eorum, qui vacui de seculo exisse videbantur, de manu episcoporum necesse habeat requiri."[1] Quum vero, ut vidimus, in solo poenitente et credente homine perfectam hanc lavacri vim efficacem putet, sequitur, ut ejusdem opinione *in sola catholica ecclesia* veram suam efficacitatem baptismus præstet, extra hanc enim ecclesiam fidem veram minime inveniri posse jam audivimus. Nihilominus tamen imperfectum etiam aquæ baptismum, extra ecclesiam administratum, non omni vi carere sentit, sed, etiamsi solum Christi nomen, nec plena baptismatis formula in eo administrando adhibita fuerit, *ratum habendum esse* nec repeti posse, "ne invocatio nominis Jesu, quæ aboleri non potest, contemtui a nobis videatur habita."[2] Imo baptisma hocce, quum ratum sit nec tamen perfectum, ex sententia ejus omne efficit, quod sine fide baptizandi baptismo effici potest; nam "invocatio nominis Jesu, quasi initium quoddam mysterii dominici, commune nobis et ceteris omnibus"[3] esse debet, et *duplici* modo efficacitatem salutarem exhibet, quum et *mystica* vis in ea insit[4], et *naturali* sua vi "præ-

---

[1]) Pag. 24, col. 1.

[2]) Pag. 27, col. 1.

[3]) Pag. 25, col. 1.

[4]) Ibid. "Invocatio nominis Jesu non debet a nobis futilis videri propter venerationem et virtutem ipsius nominis, in quo nomine virtutes omnes solent fieri, et

beat occasionem, vel etiam imponat necessitatem quærendi Dominum."[1] Eo autem ipso simul apparet, quod, qui hac occasione non usi sunt, et officium impositum non præstiterunt, "salvi esse non possunt, quia non requisiverunt Dominum post invocationem nominis ejus super eos[2] — *namque invocatio nominis Jesu ideo tantum patrocinari potest, si rite suppleta postea fuerit.*"[3] Quum vero (ita fere ratiocinatur) *solus fidei defectus* sit, qui hunc baptismum imperfectum reddat, si fidem postea ad ecclesiam transeundo acceperit hæreticus vel schismaticus, baptismus ejus eo ipso perfectus fiet. Ineptum igitur esset, si quis perfectum hunc baptismum repeteret, solummodo necesse est, ita baptizatus æque ac omnes alii, nulla necessitate prohibiti, baptismum Spiritus, impositionem scilicet manus episcopi, accipiat, quod baptisma, quum Spiritum *credenti* communicet, omne, quod in antecedente baptismo fortasse defuerit, omnino supplebit. Quamvis ergo hæc nominis Jesu invocatio, "quum nuda et singularis sit constituta, non possit ad salutem præstandam sufficere, ne hac ratione etiam ethnicos et hæreticos, abutentes nomen Jesu, credamus ad salutem sine vera re

---

nonnunquam aliquæ etiam ab hominibus extraneis. . . . . . nonnunquam etiam ab his, qui operarentur iniquitatem, posse per nimiam virtutem nominis Jesu etiam hæc (ɔ: miracula) fieri."

1) Pag. 27, col. 2.

2) Ibid.

3) Ibid. supra.

atque integra posse pervenire:"[1] plane tamen apparet, eam, "correctione erroris et agnitione fidei veritatis et abscissa omni labe præteritæ conversationis, mysterio Dei circa ejusmodi homines rite perpetratam, locum, quem habitura non erat, obtinere, et postremo in fide recta ad integritatem signi præstandam non obesse, supplemento ejus, quod deerat, accedente."[2] Qua de causa "poenitentiam agentibus correctisque per doctrinam veritatis, et *per fidem ipsorum*, *quæ postea emendata est*, purificato corde eorum, tantummodo baptismate spiritali, i. e. manus impositione episcopi et Spiritus S. subministratione, subveniri debet[3]; — quoniam multum interest, utrum in totum quis non baptizatus sit, an vero in aliquo claudicet, cum baptizatur baptismate aquæ, quod minus est, dummodo postea constet in veritate sincera fides in baptismate Spiritus, quod majus est."[4] Si quis vero remissionem peccatorum cum baptismate ita cohærere sentiat, ut sine baptismate, perfecte administrato et suscepto, neminem ejus participem fieri posse contendat: "quid dicturus est de his, qui plerumque ab episcopis pessimæ conversationis baptizantur, ... aut quid statuet de eis, qui ab episcopis prave sentientibus aut imperitioribus fuerint baptizati, quando non ad liquidum et integre, vel etiam aliter, quam oportet, in traditione sacra-

---

1) Pag. 24, col. 2.
2) Ibid.
3) Pag. 27, col. 1.
4) Pag. 25, col. 1.

menti fuerint locuti?"[1] — Quid de apostolis dicet, qui, quum baptizarentur, "neque integram, neque perfectam fidem habuisse inveniuntur?"[2] Quid de iis, qui ab hisce apostolis, quum adhuc imperfectæ fidei erant, baptizati sunt?[3] Quibus omnibus remissionem peccatorum, illud statuens, detrahit. Refutari ergo non potest, quin, etiamsi una baptismi species imperfecte suscepta fuerit, alia tamen ejusdem baptismi species, perfecte suscepta, hanc imperfectam conditionem tollat, et plenam salutem baptizato comparet; unde sequitur, ut, "*forte dato a quocunque in nomine Jesu baptismate, supplere id debeamus, custodita nominis Jesu sanctissima invocatione.*"[4]

Quod ad sanguinis baptismum attinet, idem contendit non dubitandum esse, quin, "qui forte apprehensus in nomine Christi statim confessus ac, priusquam baptizari aqua permitteretur ei, fuerit punitus,"[5] ipsa confessione et martyrio salvus fiat, "quia nihil intersit, utrum hic verbum audiens, an fidelis sit, qui confitetur Domino, dummodo ipsum Christum, quem confiteri oportet, confiteatur; quia Dominus, pari vice confitendo et ipse confessorem suum apud Patrem, honore eum martyrii exornet."[6] Itaque, ex sententia ejus, "in verbum audientibus (ɔ: catechumenis) martyribus impune aquæ bap-

---

[1]) Pag. 26, col. 2.
[2]) Ibid.
[3]) Ibid.
[4]) Pag. 29, col. 2.
[5]) Pag. 27, col. 1.
[6]) Ibid.

tisma deest,"[1] nam, ut supra jam audivimus, et aquæ et sanguinis baptismata solummodo "diversæ sunt species unius atque ejusdem baptismatis, ex uno vulnere profluentis in aquam et sanguinem. — Quæ flumina (ejusdem baptismatis) primum apparuerunt in Domini passione, cum de latere, perforato lancea militari, sanguis et aqua manavit: ut emitteret duo flumina diversæ speciei, sed tamen ejusdem ac singulare latus (*sic*), ita ut impleatur Spiritu S., quicunque credens biberit ex utroque flumine."[2] — Quum autem vera fides necessaria sit conditio perfecti martyrii, quippe quum nunquam "nomen Christi sine ipso Christo ad confessionem cuiquam possit patrocinari:"[3] efficitur, ut hæreticis et schismaticis, qui, extra ecclesiam catholicam constituti, veram fidem habere non possint, martyrium minime prosit, imo valde noceat, nam "ille hæreticus, qui confitendo Christi nomen trucidatur, nihil postea potest corrigere, si quid de Deo aut de Christo male senserit, cum in alium Deum aut in alium Christum credendo se fefellit, confessor non Christi, sed solitario Christi nomine (*sic*). .... Ut manifeste apparet, eum, qui hanc diligendi nos et diligendi a nobis dilectionem in se non habeat, inani confessione et passione nihil proficere, quam ut ipsum[4] apparet et constat hæ-

---

[1]) Pag. 29, col. 1.

[2]) Ibid.

[3]) Pag. 27, col. 2.

[4]) Textus "ipsa" habet, quod absque dubio falsum est. Rigaltius legendum esse conjicit: "quam ut ipsum appa-

reticum esse, qui in alium Deum credat, sive Christum alium accipiat."[1]

Quod tandem ad Spiritus baptismum attinet, absque omni externo opere, ut supra jam vidimus, Spiritu homines posse baptizari, at propriam tamen hujus baptismi formam manus impositionem episcopi esse, et per hanc "Spiritum S. consuesse præstari",[2] auctor noster contendit; simul vero hac etiam in baptismo veram fidem necessariam Spiritus accipiendi conditionem esse, ideoque hæreticos et schismaticos, quamdiu ad ecclesiam catholicam non transierint, ejus nunquam participes fieri posse. Altera vero ex parte ex supra dictis sequitur, ut, secundum ejusdem sententiam, simulac hæreticus vel schismaticus, antea imperfecte baptizatus, ecclesiæ se addixerit, "per solam manus impositionem episcopi, quia baptisma in nomine Jesu Christi, domini nostri, præcessit, possit ... poenitenti et credenti etiam Spiritus S. tribui ....; ita ut et hi (ɔ: hæretici et schismatici, postea in ecclesiam manus impositione recepti) non videantur minus aliquid habere, quam illi, qui perfecte sunt Christiani, ne necesse sit quæri, quale illud baptisma fuerit, quod in nomine Jesu Christi sunt consecuti."[3]

---

reat et constet hæreticum esse"; sed auctor, quod ad sermonem attinet, plane rudis, "ut" cum indicativo sæpius conjunxit.

[1]) Pag. 28, col. 1 & 2.

[2]) Pag. 23, col. 2.

[3]) Ibid.

Summo opere igitur auctor noster laudandus est, quod ipsam spiritualem regenerationem sine externo sacramento effici posse intellexit; notionem perfecti baptismi a notione baptismi solummodo rati distinxit; perfectionem baptismi non in externis rebus, sed in ipsa Spiritus S. communicatione, vera baptizandi poenitentia et fide efficienda, esse positam statuit; auctoritatem baptismatis nec in subjectiva baptizatoris conditione, nec in accurata formulæ baptismatis enunciatione positam putavit; sed optime intellexit, nil de ea detrahi, etiamsi alia formula adhibita fuerit, dummodo sensus initiationis in Christum, filium Dei, eoque ipso in Deum, patrem Christi, et in sanctum Patris Filiique spiritum reservatus fuerit. In eo autem reprehendendus est, quod baptismi naturam ab una solummodo parte consideravit; dum enim rationem ejus ad regenerationem æternamque salutem semper inculcavit, et hanc ob causam eum aliis operibus, martyrio videlicet et manus impositioni, utpote quæ, ex ipsius opinione, quod ad regenerationem salutemque ejusdem rationis sint, plane respondere putavit: *rationis ejus ad ecclesiam visibilem oblitus videtur*, quod scilicet unicus est ritus, quo ex auctoritate Christi in ecclesiam visibilem homines recipiendi sunt; et quod administratio ejus, quum soli ecclesiæ ab ipso Christo tradita sit, nec negligi debet, nec coetibus quibuscunque, ad ecclesiam non pertinentibus, concedi. Quam si rationem animadvertisset, nunquam sane omne, quod in baptismate administrando neglectum fuisset, manus impositione cor-

rigi posse dixisset: imo, ut baptisma ratum haberetur, solam objectivam formulæ et actionis vim minime sufficere, quodcunque autem baptisma, extra ecclesiam concessum, plane irritum æstimandum esse intellexisset.

Ceterorum Cypriani Adversariorum De Baptismate Hæreticorum Sententiæ, Cum Ipsius Ejusque Asseclarum Sententiis Comparatæ.[1]

Unum jam Cypriani adversariorum baptismum hæreticorum propter objectivam initiationis vim *ratum* quidem habuisse, simul vero, quippe quum vera fide catechumenum hæreticum necessario carere putaret, *imperfectum* judicasse, vidimus; id quod, ut ceterorum effata recte æstimemus, semper tenendum est; horum enim effatorum complura eandem distinctionem adumbrant, dum alia indicare videntur, Stephanum ejusque asseclas *perfectum* etiam huncce baptismum habuisse. Veri autem simillimum est, Cyprianum ejusque sectatores, qui optimam hanc perfecti baptismi distinctionem a rato baptismo ipsi haud intelligerent, effata illorum interdum male intellexisse, et, quæ illi de *hypothetica* baptismi auctoritate dicerent, de *perfecta*, quam solam ipsi agnoscerent, explicasse. Prius ergo ea effata, quæ plus minusve incorrupta nobis reservata videntur, deinde eorum, quæ con-

---

[1]) Loci laud. ex epp. Cypriani excerpti sunt.

sequentiis relatorum mutilata putamus, graviora afferemus.

Stephanus docuisse dicitur, "his, qui apud hæreticos baptizantur, adesse præsentiam et sanctimoniam Christi;"[1] eandemque doctrinam his verbis proposuisse narratur: "In multum proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut, quicunque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi;"[2] quæ verba, licet ambigui sensus sint, eandem tamen sententiam, quam ignotus ille auctor amplexatus est, indicare videntur; quod nimirum in nominis Christi invocatione et naturalis insit vis ad fidem excitandam, et mystica atque inviolabilis ad baptisma ratum efficiendum. Quod enim ita baptizatum gratiam Christi statim consecutum Stephanus ait, *de gratia modo hypothetica et præparatoria*, ni fallor, locutus est, quæ "tantum patrocinari possit, si rite suppleta postea fuerit."[3] — Hanc gratiam minime de persona baptizatoris, sed de sola objectiva initiationis vi pendere[4] Stephanus cnm suis contendit, et, "quærendum esse, negavit, "quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod, qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit, invo-

---

¹) Ep. 75, pag. 223. quam ep. scripsit Firmilianus, episc. Cæsareæ Cappadociæ, in latinum autem sermonem transversisse ipse Cyprianus videtur.

²) Ibid. pag. 226.

³) De bapt. hær. pag. 27, col. 2. Vide supra pag. 153.

⁴) "Effectum baptismi majestati nominis tribuunt." Ep. 74, pag. 213.

cata trinitate nominum Patris, Filii, Sp. S.;"[1] quam tamen integram formulam non plane necessariam æstimavit, quum eundem sensum in solius Christi invocatione inesse putarit, quamobrem, "foris extra ecclesiam, imo contra ecclesiam modo in nomine Jesu Christi ubicunque et quomodocunque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse,"[2] docuit. Veram autem receptionem hujus remissionis et gratiæ, baptismate hominibus solummodo oblatæ, in *fide* baptizandi positam esse iidem intellexerunt, qua de causa et in universum affirmarunt, "quod quærendum non sit, quis baptizaverit, quando is, qui baptizatus sit, accipere remissam peccatorum potuerit, *secundum quod credidit*,"[3] et in specie ad hæreticos schismaticosque respicientes, "eum, qui quomodocunque foris baptizatur, *mente et fide sua* bap-

¹) Ep. 75, pag. 221.

²) Ep. 73, pag. 206; cfr. pag. 205. Verisimile mihi videtur, verba: "imo contra ecclesiam", additamentum esse Cypriani; altera enim ex parte non intelligitur, qua de causa Stephanus hæc verba scripsisset, quæ (quum iis tamen baptismum *extra* ecclesiam a baptismo *contra* ecclesiam discerneré, ei in mentem venire haud potuerit) nil aliud effecissent, quam ut adversarii magis exacerbarentur; ex altera facile apparet, quomodo Cyprianus ad ea apponenda absque omni dolo adduci potuerit; quum enim, ipsius opinione, *extra* ecclesiam, habito hæreticorum respectu, idem sit ac *contra* ecclesiam, fieri potuit, ut hac epexegesi perversitatem et impietatem doctrinæ Stephani magis perspicuam reddere voluerit.

³) Ep. 73, pag. 199.

tismi gratiam consequi posse,"[1] contenderunt. Quum vero, secundum testimonium ipsius Cypriani atque Firmiliani, hæreticos schismaticosque Spiritus S. omnino expertes esse concesserint[2]: negariut quoque necesse est, veram fidem sanctamque mentem apud hæreticos inveniri posse; unde efficitur, ut, quum eos "mente et fide sua gratiam baptismi consequi posse" ajant, non aliam, quam veram fidem, quam, ipsorum opinione, solummodo ad ecclesiam transeundo accipere possent, sive, ut ignoti illius auctoris verbis utar, "fidem postea emendatam" intellexerint. Quod si ita est, necessario quoque sequitur, ut, *quoties de vi baptismi hæretici locuti fuerint, semper hypotheticam, fidei postea emendatæ conditione adstrictam, senserint.*

Altera vero ex parte, eos baptismum hæreticum *regenerationis* nomine ornasse, complures loci ostendunt; quamvis enim nonnulli horum, ut supra jam diximus, potius consequentias Cypriani Firmilianique, quam verba Stephani eorumque, qui a parte ejus stabant, contineant, tam sæpe tamen et tam disertis verbis hujus rei illi accusantur, ut vix plane absolvi possint. Quin etiam unus locus exstat, qui, quum mirum sane ac singulare effatum contineat, accurata Stephani verborum relatio

---

[1]) Ep. 75, pag. 222.

[2]) "Qui quoniam, pertinaces alias et indociles, vel hoc tamen confitentur, quod universi sive hæretici, sive schismatici non habeant Spiritum S., et ideo baptizare quidem possint, dare autem Spiritum S. non possint —" Ep. 69, pag. 185; cfr. Ep. 75, pag. 221.

videtur; ipse vero hic locus, majorem quidem vim, quam auctorem illum, sæpissime commemoratum, sed nihilo minus hypotheticam modo, in sola ecclesia supplendam perficiendamque, Stephanum hæretico baptismo concessisse, testatur. "Secundum quod Stephano videtur," inquit Firmilianus, "*hæresis quidem parit et exponit, expositos autem ecclesia suscipit;*"[1] unde videmus, ex Stephani opinione hæretico baptismate homines quidem regenerari, sed ita, ut, nisi ab ecclesia catholica spiritualiter nutriantur, certissime statim moriantur. Quod si quærimus, quomodo eum præterire potuerit, quod divina Spiritus S. vita, regenerato innata, sua ipsius vi necessario propagetur, ut, qui regeneratione templum Spiritus semel factus sit, eodem Spiritu semper perfectius exædificetur: mea opinione respondendum est, eum, separatione baptismatis a manus impositione, qua demum Spiritum S. baptizatis concedi plerique credebant, seductum, in notione regenerationis constituenda Cypriani vestigia secutum esse, ut novam quidem creaturam regeneratione procreari putaret, sed modo exanimem, usque dum manus impositione in vera ecclesia, quæ sola Spiritum S. possideret et cum hominibus communicare posset, hujus eoque ipso veræ vitæ particeps fieret[2]. Cyprianus autem, licet ipse pravissimam hanc regenerationis notionem tenuerit, id tamen intellexit, eam esse opus Spiritus S., qua de causa

1) Ep. 75, pag. 224.
2) Vide supra pag. 115.

Stephano sæpius objecit, quod parum sibi constaret, quum spiritualem regenerationem sine Spiritu effici posse diceret. "Illud quoque ineptum," inquit, "ut, quum nativitas secunda spiritalis sit, qua in Christo per lavacrum regenerationis nascimur, dicant, quod possit quis apud hæreticos spiritaliter nasci, ubi Spiritum negant esse;"[1] eodemque modo Firmilianus, "quoniam Stephanus," inquit, "et qui illi consentiunt, contendunt dimissionem peccatorum et secundam nativitatem in hæreticorum baptisma posse procedere, apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum S. non esse: considerent et intelligant, spiritalem nativitatem sine Spiritu esse non posse."[2] Hanc vero reprehensionem ad falsam quidem regenerationis notionem, quam Stephanus teneret, non autem ad hypotheticam baptismatis hæretici vim, quam poneret, pertinere, et solummodo ex concessis demonstrare, baptismum hæreticum nomine regenerationis immerito ornari, minime vero probare, nec hypotheticam vim ei tribuendam esse, quisque facile videt. In universum autem, quum Cyprianus ejusque asseclæ, quid sibi adversarii vellent, quum de hypothetica baptismi vi loquerentur, minime intelligerent, nec nisi regenerantem baptismum ipsi agnoscerent, haud sane mirandum, si effata illorum male intellecta consequentiis suis interdum deformarint; id quod re vera fecisse mihi videntur, quum illos "dixisse et affirmasse" contenderunt,

---

1) Ep. 74, pag. 213.
2) Ep. 75, pag. 221.

hæreticos "per baptismi sacramentum sordes veteris hominis abluere, antiqua mortis peccata donare, regeneratione cælesti filios Dei facere, ad æternam vitam divini lavacri sanctificatione reparare."[1]

Quo factum est, ut *immerito* illos inconstantiæ accusarent, quod hæreticos propter meram divini nominis vim spiritualiter quidem regenerari et peccatorum remissionem fide sua extra ecclesiam consequi posse dicerent, eosdem vero secundum eandem nominis vim eademque fide ipsum Spiritum S. accipere posse negarent, quum tamen Spiritum, qui solus peccata remittere et homines regenerare posset, ibi esse, ubi essent effectus ejus, necesse esset[2]; nam illi, ut supra demonstrare conati sumus,

---

[1]) Ibid. pag. 225. Cfr. suffr. Quieti — in Act. Conc. Carth. pag. 235 — ubi sententia adversariorum his verbis indicatur: "Qui apud illos baptizantur, per remissionem peccatorum vitam æternam consequuntur." Cfr. præterea Ep. 74, pagg. 213-14.

[2]) "Quod si secundum pravam fidem baptizari aliquis foris et remissam peccatorum consequi potuit, secundum eandem fidem consequi et Spiritum S. potuit, et non est necesse venienti manum imponi, ut Spiritum S. consequatur et signetur. Aut utrumque enim fides foris potuit, aut neutrum eorum, qui foris fuerat, accepit." (Ep. 73, pag. 201.) "Aut si effectum baptismi majestati nominis tribuunt, ut, qui in nomine Jesu Christi ubicunque et quomodocunque baptizantur, innovati et sanctificati judicentur; cur non in ejusdem Christi nomine illic et manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum S.? Cur eadem ejusdem majestas nominis non prævalet manus impositione, quam valuisse contendunt in baptismi sanc-

minime docebant, hæreticos, quamdiu hæretici manerent, fide sua falsa remissionem consequi posse; sed tum primum, quum ad ecclesiam catholicam

---

tificatione? Nam si potest quis, extra ecclesiam natus, templum Dei fieri, cur non possit super templum et Spiritus S. infundi? Qui enim, peccatis in baptismo expositis, sanctificatus est et in novum hominem spiritaliter formatus, ad accipiendum Spiritum S. idoneus factus est. Quando apostolus dicat: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; qui potest apud hæreticos baptizatus Christum induere, multo magis potest Spiritum S., quem Christus misit, accipere. Ceterum major erit mittente, qui missus est, ut incipiat foris baptizatus Christum quidem induisse, sed Spiritum S. non potuisse percipere; quasi possit aut sine Spiritu Christus indui, aut a Christo Spiritus separari." (Ep. 74, pag. 213.) Quam disputationem ipsius Cypriani notione de perfecta baptismi vi, nec Stephani ac ceterorum de hypothetica baptismi hæretici vi fundatam esse, eamque ob causam inconstantiam, illis crimini datam, non probare, facile est intellectu. Certiore ictu Firmilianus scopum ferit, quum, "interrogandi sunt," inquit, "a nobis, qui hæreticos defendunt, utrum *carnale* sit eorum baptisma, an *spiritale*. Si enim carnale est, nihil differunt a Judæorum baptismo, quo sic illi utuntur, ut eo tanquam communi et vulgari lavacro tantum sordes laventur. Sin autem spiritale est, quomodo apud eos esse baptisma spiritale potest, apud quos Spiritus S. non est? Ac per hoc aqua, qua tinguntur, lavacrum est illis carnale tantum, non baptismi sacramentum. Quodsi baptisma hæreticorum habere potest regenerationem secundæ nativitatis, non hæretici, sed filii Dei computandi sunt, qui apud illos baptizantur; secunda enim nativitas, quæ est in baptismo, filios Dei generat." (Ep. 75, pagg. 223-24.) Quibus tamen illi, suo modo rem

transseundo veram fidem accepissent, veram condonationem, antea modo præparatam, iis concedi affirmabant; nec perfectam regenerationem baptismum eorum habebant, sed talem modo, ut, nisi

---

spectantes, constanter respondere potuissent, quum in hæreticorum baptismo, qui quod ad res summas eodem modo ac ecclesiasticus administraretur, nil aliud deesset, quam quod *vera fide* careret baptizandus, hæc vero esset necessaria baptismi spiritualis conditio, lavacrum quidem eorum, quamdiu falsæ hæreticæ fidei adhærerent, carnale esse; simulac autem ad ecclesiam transissent et veram fidem accepissent, hac ipsa spirituale et perfectum fieri, ut, qui antea perditi filii (ut ita dicam) fuissent, jam, quum ad patrem rediissent, veri ejus filii æstimandi essent. — Porro argutæ sane huic Firmiliani objectioni: "Si in nomine Christi valuit foris baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere potuit et manus impositio ad recipiendum Spiritum S. *Et incipient cetera quoque, quæ apud hæreticos aguntur, justa et legitima videri, quando in nomine Christi gerantur*" — Ep. 75, pag. 226 — iidem constanter respondere potuissent, re vera quidem invocationem nominis Christi cuique ritui, cum ipsa conjuncto, *aliquam* sanctitatem tribuere, sed *eandem* modo, quam baptismati tribueret, *hypotheticam* nimirum, in sola ecclesia supplendam; eamque ob causam, quum ritus initiationis in ecclesiam hæreticis jam baptizatis necessarius esset, manus impositionem, symbolum Spiritus S., se cum homine initiando communicantis, aptissimam esse, quum nunquam non ad sanctam initiationem usurpari posset, et veram Spiritus S. communionem, antequam ad ecclesiam transissent, minime accipere illi potuissent, etiamsi præparationem ejus accepissent.

ab ecclesia susciperentur regenerati, necessario morerentur, quod Spiritum S. non accepissent, sed solummodo ad eum in ecclesia accipiendum imperfecto, sed nihilo secius rato, baptismo, eoque ipso imperfecta quoque regeneratione præparati essent.

Hoc respectu igitur inconstantiæ criminis, quod tamen Neander etiam merito iis objici putat[1], ni fallor, absolvendi sunt; sed contra ea gravissimum crimen, quod coetibus, ex ipsorum judicio ad ecclesiam non pertinentibus, potestatem ecclesiasticam eamque gravissimam, membrorum nimirum in ecclesiam recipiendorum, vindicarent, et ita *non-ecclesiæ partes solius ecclesiæ tribuerent*, ut supra demonstrare conati sumus, refutari non potest; unde sequitur, Cyprianum jure hanc conditionem iis posuisse, ut aut hæreticorum et schismaticorum baptisma rejicerent, aut hos ad ecclesiam pertinere agnoscerent[2]. Quum jam baptisma eorum non rejicerent, eoque ipso eos ad ecclesiam pertinere de facto agnoscerent, rursus summo jure postulare potuisset ille, ut hæreticis, qui, quum bap-

---

1) K. G. vol. I, pag. 379.

2) "Si ecclesiæ devoti et in ecclesia constituti sunt hæretici, possunt et baptismo ejus et ceteris salutaribus bonis uti; si autem in ecclesia non sunt, imo et contra ecclesiam faciunt, quomodo baptizare baptismo ecclesiæ possunt? Neque enim parva res hæreticis et modica conceditur, quando a nobis baptisma eorum in acceptum refertur, cum inde incipiat omnis fidei origo et ad spem vitæ salutaris ingressio et purificandis ac vivificandis Dei servis divina dignatio." (Ep. 73, pag. 203.)

tisma ecclesiæ haberent, ad ecclesiam necessario pertinerent, Spiritum quoque S. se impertire posse, eamque ob causam manus impositionem iis, quum ad ecclesiam transirent, ad Spiritum S. accipiendum minime necessariam esse, concederent. Ita hanc sententiam, licet ex notione baptismatis, per se spectata, probari non posset, ex relatione, quæ baptisma intercedit inter et ecclesiam, manifesto, ni fallor, probavisset.

Restat jam, ut reliqua utriusque partis argumenta, quæ tamen fere omnia minoris momenti sunt, afferamus. Utraque, *unum* modo esse baptisma, verbis illis Paulinis (Eph. 4, 5-6) nisa, contendebat; Stephanus autem ejusque asseclæ exinde collegerunt, hæreticum quoque baptisma verum et ratum esse, quum alias duo essent baptismata[1]; Cyprianus contra iique, qui a parte ejus stabant, baptisma ecclesiæ a baptismatibus hæreticis schismaticisque plane diversum æstimantes, quum unum modo esset baptisma, aut ecclesiæ aut hæreticorum falsum esse concluserunt. "Nescio etenim," inquit Cyprianus, "qua præsumtione ducuntur quidam de collegis nostris, ut putent eos, qui apud hæreticos tincti sunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere, eo quod dicant, unum

---

1) Perversam hanc conclusionem Rettberg (libro laud. p. 165) summo jure his verbis castigat: "Verkehrteres kann man sich wohl nicht denken, als dass die Wahrheit, weil sie nur eine ist, jede Art der Lüge mit in sich aufnehmen müsse; sonst ständen ja zwei Behauptungen gegen einander, deren jede die Wahrheit sein will!"

baptisma esse; quod unum scilicet in ecclesia catholica est. Quæ ecclesia si una est, esse baptisma extra ecclesiam non potest; nam cum duo baptismata esse non possint, si hæretici vere baptizant, ipsi habent baptisma. .... Porro autem quidam de collegis nostris malunt hæreticis honorem dare, quam nobis consentire; et, dum unius baptismi asseveratione baptizare venientes nolunt, sic aut duo baptismata ipsi faciunt, dum et apud hæreticos baptisma esse dicunt; aut certe, quod est gravius, hæreticorum sordidam et profanam tinctionem vero et unico et legitimo ecclesiæ catholicæ baptismo proponere et præferre contendunt."[1] — Hæreticorum baptismi defensores, quum eum ratum haberent, *rebaptismatis* adversarios accusarunt; quod tamen crimen suo jure contemserunt, quum baptisma, extra ecclesiam catholicam concessum, nihili omnino æstimarent. "Nos, dicimus," inquit Cyprianus, "eos, qui inde veniunt, non rebaptizari apud nos, sed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid, ubi nihil est; sed veniunt ad nos, ut hic accipiant, ubi et gratia et veritas omnis est, quia et gratia et veritas una est."[2] Nec infelicius improbabilem hanc opinionem, quod apostoli hæreticorum baptisma ratum habuissent, refutarunt, monstrantes nimirum omnes

---

[1]) Ep. 71, pag. 198.

[2]) Ibid. Cfr. suffr. Adelphii, in Act. Conc. Carth. pag. 236: "Sine causa quidam falso et invidioso nomine impugnant veritatem, ut rebaptizare nos dicant, quando ecclesia hæreticos non rebaptizet, sed baptizet."

graviores hæreses serioris demum temporis esse, et nullum omnino hujus traditionis argumentum inveniri[1]. Summa vero cum laude provocationem adversariorum ad *ecclesiæ consuetudinem*[2] rejecerunt, non solum enim suarum ecclesiarum consuetudinem, compluribus conciliis sancitam, iis opposuerunt, sed "*consuetudinem sine veritate vetustatem erroris esse*,"[3] et, "manifesta veritate, cedere consuetudinem veritati"[4] oportere, aperte declararunt. "Quod pertinet ad consuetudinem refutandam," inquit Firmilianus, "quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit, ut veritati consuetudinem præferat, aut qui, perspecta luce, tenebras non derelinquat? Nisi si et Judæos, Christo adventante, i. e. veritate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quod, relicta nova veritatis via, in vetustate permanserint. Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse. Ceterum nos veritati et consuetudinem jungimus, et consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis, opponimus, ab initio hoc tenentes, quod a

---

[1]) Epp. 73, 204. 74, 211. 75, 219. Ineptissime ad narrationem, in Act. App. cap. VIII obviam, provocavit Stephanus cum suis, Samaritanosque non rebaptizatos esse ostendit (Ep. 73, pag. 203); majore autem jure Cyprianus et Firmilianus ad discipulos Johannis, a Paulo iterum baptizatos, quia verum Christi baptisma non acceperant, provocarunt. (Ibid. p. 209. 75, 221.)

[2]) De rebapt. pagg. 21 et 24.

[3]) Ep. 74, pag. 215.

[4]) Suffr. Libosi, in Act. Conc. Carth. pag. 236.

Christo et ab apostolo traditum est. Nec meminimus, hoc apud nos aliquando cæpisse, cum semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei ecclesiam nossemus, et sanctum baptisma non nisi sanctæ ecclesiæ computaremus. Plane quoniam quidam de eorum (ɔ: Montanistarum) baptismo dubitabant, qui, etsi novos prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem et Filium nosse nobiscum videntur: plurimi simul convenientes in Iconio diligentissime tractavimus et confirmavimus, repudiandum esse omne omnino baptisma, quod sit extra ecclesiam constitutum."[1] — Duo porro diversissima argumenta Stephanus ejusque sectatores attulerunt, alterum: Novatianenses rebaptizare, ideoque ecclesiæ non rebaptizandum esse, ne similis esset schismati Novatiani; cui pravissimo argumento Cyprianus respondit, "ad se omnino non pertinere, quid hostes ecclesiæ facerent, dummodo ipsi (veræ ecclesiæ membra) tenerent potestatis suæ honorem et rationis et veritatis firmitatem," et, "vanum prorsus ac stultum esse, ut, quià Novatianus extra ecclesiam vindicaret sibi veritatis imaginem, relinquerent ipsi ecclesiæ veritatem"[2] — alterum: ne hæreticos quidem rebaptizare, et iccirco nec ecclesiam communem huncce morem respuere debere[3].

---

1) Ep. 75, pag. 226.

2) Ep. 73, pagg. 198-99.

3) Hocce Stephani argumentum non plane ineptum esse optime ostendit Rettberg (libro l. pag. 167): "Apostolische Tradition wird dadurch freilich nicht bewiesen; allein da doch die zu verschiedenen Zeiten aus der Kirche sich ab-

Ipsa Stephani verba nobis a Cypriano reservata sunt. "Si quis," inquit, "a quocunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est; cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum[1]. — Ad hoc malorum," addit Cyprianus, "devoluta est ecclesia Dei et sponsa Christi, ut hæreticorum exempla sectetur, ut ad celebranda sacramenta cælestia disciplinam lux de tenebris mutuetur, et id faciant Christiani, quod Antichristi faciunt."[2] — Quod tandem illi quæsiverunt, quid de membris ecclesiæ, jam sine baptismo admissis, statuendum esset, Cyprianus, "potens est Dominus," inquit, "misericordia sua indulgentiam dare, et eos, qui, ad ecclesiam simpliciter admissi, *in ecclesia dormierunt*, ab ecclesiæ suæ muneribus non separare. Non tamen, quia aliquando erratum est, ideo semper errandum, cum magis sapientibus et Deum timentibus congruat, patefactæ et perspectæ veritati libenter atque incunctanter obsequi, quam per-

---

sondernden Ketzerpartheien jedesmal etwas von dem in der Kirche Ueblichen festhielten und mit hinübernahmen; so hätte doch wahrscheinlich auch eine derselben den Grundsatz der Nichtigkeit eines fremdartigen Taufe mitgenommen, sobald er wirklich in der Kirche vorhanden gewesen wäre; Uebereinstimmung Aller in *einem* Puncte bei Verschiedenheit in andern, berechtigt zu dem Schlusse, gerade dieser Punct sei ein gemeinschaftlich aus der Kirche entlehntes Element. Ob sich Stephanus die Sache gerade so gedacht hat, ist nicht auszumachen."

[1]) Ep. 74, pag. 210.

[2]) Ibid. pag. 212.

tinaciter atque obstinate contra fratres et consacerdotes reluctari."[1] Firmilianus autem accuratius, "si de seculo excesserunt," inquit, "in eorum numero, qui apud nos catechizati quidem sunt, sed, priusquam baptizarentur, obierunt, habentur ...... qui autem adhuc in seculo permanent, baptizentur ecclesiæ baptismo, ut remissionem peccatorum consequi possint, ne, per alienam præsumtionem in pristino errore manentes, sine gratiæ consummatione moriantur."[2] Quod idem Cyprianus quoque censuisse videtur, quum alias non solum eos, "qui in ecclesia dormiissent", sed omnes omnino "simpliciter admissos" ad divinam misericordiam delegasset. Liberalioris sententiæ Dionysius Alexandrinus[3] erat, qui (de hæretico, sine baptismo in

1) Ep. 73, pag. 208.

2) Ep. 75, pag. 226.

3) "Des Mannes Grundansicht von der Sache erhellt keineswegs hinlänglich; nach Eusebius ist (VII, 2. 4 5 7. 9.) seine Meinung nie deutlich ausgesprochen. Nach Hieronymus (de vir. illustr. c. 69) hielt er es mit dem Cyprian und den carthagischen Synodalbeschlüssen; Basil der Grosse hingegen erzählt, er habe die Taufe der Montanisten für gültig erklärt, und dies stritte doch offenbar mit Cyprians Ansicht. .. Vielleicht bezeichnen gerade diese wiedersprechenden Angaben die Meinung des Dionysius am besten; er schwankte wahrscheinlich zwischen Afrika und Rom, entschied sich für keine Parthei offenbar, um so den Vermittler zwischen Beiden abgeben zu können." Ita Rettberg (libro l. pag. 193) — vividioribus autem et verioribus, ni fallor, coloribus Neander eum depingit: "Er stimmte zwar mit den nordafrikanischen Kirchen *in den Grundsätzen* überein, wie diese in der alexandrinischen Kirche seit

ecclesiam recepto, postquam autem diu ecclesiæ membrum fuerat, ut in ecclesia baptizaretur, postulante) "εὐχαριστίας ἐπακούσαντα," inquit, "καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμὴν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, καὶ ταύτην καταδεξάμενον, καὶ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετασχόντα ἱκανῷ χρόνῳ, οὐκ ἂν ἐξ ὑπαρχῆς ἀνασκευάζειν ἔτι τολμήσαιμι."[1]

Reliquum modo est, ut ostendamus, quam liberalitatis laudem Cypriano multi tribuant; quod "neminem se judicare, aut a jure communionis, si diversum senserit, amovere velle" ajat, "quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ liberum arbitrium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest judicare"[2]

---

längerer Zeit herrschend waren (jam Clementem Alex. baptisma hæreticum rejecisse supra pag. 64 vidimus), nur mit dem Unterschiede, dass dieser Mann von freierem Geiste eher *Ausnahmen von der Regel machte* im Rücksicht mancher Sekten, welche in der Lehre mit der Kirche ganz übereinstimmten. Er suchte aber doch mit den römischen Bischöfen die brüderliche Eintracht zu erhalten und sie zum Frieden zu stimmen." (K. G. vol. I, pag. 377.)

[1]) Euseb. hist. eccl. lib. VII, cap. 9.

[2]) Præfat. Conc. Carth. pag. 229. Cfr. Ep. 72, pag. 197: "Ceterum scimus, quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed, salvo inter collegas pacis et concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, cum habeat in ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus."

— eam solummodo cum detrimento constantiæ suæ nostrum reportasse, quum Stephanum non solum ejusque sectatores "prævaricatores fidei atque ecclesiæ proditores"[1] appellet, sed etiam illum, "cum singulæ hæreses singula baptismata et diversa peccata habeant, universorum delicta in sinum suum coacervata congessisse,"[2] et ita "alienis imo æternis peccatis communicare"[3] ajat. Quod si sibi omnino constare voluisset, sibimetipsi quoque a communione hujus, tot peccatis onusti, prævaricatoris ac proditoris abstinendum putasset.

Quod ad summam quæstionis attinet, Cypriano laus consequentiæ, adversariis vero ejus laus liberalitatis, ni fallor, tribuenda est, quod, quicunque Christum dominum et magistrum agnoscerent, hac ex agnitione aliquam tamen, licet erroribus ipsorum valde limitatam, divinorum beneficiorum participationem sibi comparare concesserunt.

Constitutiones Apostolicæ.[4]

Complures diversissimæ constitutionum apostolicarum collectiones sensim et paulatim antiquiore

---

Ceterum nil absurdius sane et superbius, quam episcopis absolutum ecclesiæ dominium vindicare, et affirmare singularum ecclesiarum administrationem de libero singulorum epp. arbitrio plane dependere.

[1]) Ep. 69, pag. 185.

[2]) Ep. 74, pag. 211.

[3]) Ep. 73, pag. 207.

[4]) Loci laud. ex ed. Clerici — Antverpiæ a. 1700 — excerpti sunt.

tempore eo exstitisse videntur, quod viri, diversis theologicis partibus addicti, consuetudines et usus ecclesiasticos, quos ex traditione apostolorum in ecclesiam receptos putarent, colligerent, aliis recentioribus nonnullisque etiam a semetipsis exaratis augerent, et has collectiones *pia*, ut credebant, fraude ab ipsis apostolis conscriptas dicerent[1]. Διδαχὰς enim τῶν ἀποστόλων, quas Eusebius et Athanasius commemorarunt, διατάξεις τῶν ἀπ., ab Epiphanio sæpius commemoratas, nostras denique διαταγὰς τῶν ἁγίων ἀπ. διὰ Κλήμεντος omnes unum idemque opus fuisse, valde tamen post tempora Epiphanii interpolatum, demonstrare doctissimo Krabbe minime, ni fallor, contigit[2]. Eusebius enim τῶν ἀπ. τὰς λεγομένας διδαχὰς, quas τοῖς νόθοις annumerat[3], inter Clementis scripta, sæpius ab ipso enumerata, non ponit, et Athanasius διδαχὴν ἀποστόλων ut diversum opus a τοῖς Κλημεντίοις distinguit[4]. Cujus tamen rei causa fortasse in eo quæri posset, quod Constitutiones nostræ Athanasii Eusebiique tempore nondum Clementis nomine inscriptæ essent, id quod non solum a fide minime

---

1) Cfr. Neand. K. G. vol. I, pag. 737.

2) "Ueber den Ursprung und den Inhalt der apostolischen Constitutionen des Clemens Romanus" — Hamb. 1829 — Aliud opus, hac de re conscriptum: Drey: "Untersuchungen über die Constitutionen und Canones der Apostel" — Tüb. 1832 — inspicere mihi non contigit.

3) Hist. eccl. lib. 3, c. 25.

4) Synops. sacr. script. "τῆς νέας πάλιν διαθήκης ἀντιλεγόμενα ταῦτα ..... διδαχὴ ἀποστόλων, Κλημέντια, ἐξ ὧν μετεφράσθησαν ἐκλεγέντα τὰ ἀληθέστερα καὶ θεόπνευστα."

abhorret, quum in ipso libro nil omnino sit, cur Clementi auctori tribuatur, sed etiam valde verisimile est, quum antiquiore tempore nusquam Clementis nomine ornatæ inveniantur, priusquam sub hoc titulo concilium quinisextum (a. 692) eas damnaret; nam Maximus Confessor († a. 662) solummodo apostolorum nec Clementis nomine eas citavit[1]. — Graviori autem hujus diversitatis argumento est, quod Athanasius testatur, διδαχὴν καλουμένην τῶν ἀποστόλων ad catechumenos erudiendos adhiberi[2], cui usui Constitutiones nostras, habita et argumenti et imprimis amplitudinis ratione[3], minime aptas fuisse, quisque facile videt. Quod

---

[1]) In epistolam VIII Dionysii, post med.: "... καθὼς ἐν ταῖς ἱεραῖς τῶν ἀποστόλων γέγραπται διαταγαῖς."

[2]) "Ep. fest.: "ἔστιν καὶ ἕτερα βιβλία τούτων ἔξωθεν, οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπωμένα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον· Σοφία Σαλαμῶνος .... καὶ διδαχὴ καλουμένη τῶν ἀπ. καὶ ὁ ποιμήν."

[3]) Argumentum earum Krabbe his verbis optime indicasse videtur. "Die Entwickelung des Planes der Constitutionen wird zeigen, wie es in der Absicht des Verfassers lag, für das ganze kirchliche Leben eine gesetzliche Norm aufzustellen; er wollte Vorschriften für alle Mitglieder der Kirche, für Laien und Geistlichen ertheilen, er wollte alle kirchlichen Verhältnisse näher bestimmen, den Stand und das Verhältniss der Geistlichen zu einander und zu der Lenkung und Verwaltung der Kirche näher bezeichnen, wollte ferner die kirchlichen Gebräuche und ihre Gewohnheiten näher festsetzen, ihren Sinn und Bedeutung erklären, und ihre strengere Beobachtung befördern." (libro I. pag. 117.)

enim ad conjecturam Krabbianam attinet, quod nimirum hæcce διδαχὴ illa sit epitome, quam in synopsi sacræ scripturæ Athanasium commemorasse vidimus, omnibus argumentis hæc conjectura caret; præsertim quum verba: ἐξ ὧν μετεφράσθεσαν κ. τ. λ. non ad διδαχὴν ἀπ. sed modo ad Κλημέντια pertinere videantur. Nicephorus quoque Constantinopolitanus hanc διδαχὴν brevissimam esse narrat, CC modo versuum, id quod cum Athanasii testimonio de usu hujus libri optime convenit[1], simul vero eum a Constitutionibus plane diversum fuisse ostendit. Duo porro indices ad Quæstiones Athanasii Nicæni, quorum alter in Oxoniensi, alter in Parisiensi codice invenitur[2], διδαχὴν ἀπ. a διδασκαλία Κλήμεντος, quo titulo Constitutiones inscribuntur, distinguunt. Zonaras quidem, "τίνας λέγειν," ait, "τὴν διδαχὴν τῶν ἀπ. εἶναι τὰς διὰ τοῦ Κλήμεντος γραφείσας διατάξεις" —; hocce autem testimonium, supra laudatis gravioribus oppositum, libros commemoratos unum idemque opus esse minime demonstrat, licet eos similis argumenti fuisse verisimile reddat, quum alias confundi non potuissent. Quod deinde ad διατάξεις τῶν ἀπ., ab Epiphanio sæpius commemoratas, attinet, haud quidem dubitandum est, quia cum Constitutionibus nostris cognatæ fuerint, quum loci complures, ab Epiphanio

---

[1]) Breve enim compendium, quod officia membri ecclesiæ et institutiones eccleiæ illustratas contineret, catechumenis traditum fuisse, a fide minime abhorret.

[2]) Vide Krabbe, l. l. pag. 56.

ex *illis* citati, in *his* inveniantur[1]; altera autem a parte diversæ fuisse videntur, quum non solum in rebus dogmaticis[2], id quod interpolationibus serioris temporis Krabbe tribuendum putat, sed in aliis quoque rebus[3] magnam inter eas differentiam fuisse appareat. Quamobrem tria opera commemorata diversas fuisse constitutionum apostolicarum collectiones putamus; unde sequitur, ut ex testimoniis patrum de duobus illis prioribus nil de tempore, quo nostræ Constitutiones prodierint, elici possit.

Internis autem testimoniis certa hujus temporis indicia Krabbe invenisse videtur. Totum enim opus diligentissime scrutatus, acutis argumentis, ni fallor, probavit, septem priores libros, nonnullis serius insertis locis exceptis, unum opus efficere, cujus quum primariæ ideæ de unitate et sanctitate visibilis ecclesiæ ac de summa cleri

---

1) Horum locorum enumerationem apud Krabbe, l. l. pagg. 62-67, invenies.

2) Epiphanius enim, acerrimus ille hæresium investigator, ταῖς διατάξεσι τῶν ἀπ. orthodoxiæ laudem tribuit („πᾶσα γάρ," inquit, „ἐν αὐτῇ κανονικὴ τάξις ἐμφέρεται, καὶ οὐδὲν παρακεχαραγμένον τῆς πίστεως, οὐδὲ τῆς ὁμολογίας, οὐδὲ τῆς ἐκκλησιαστικῆς διοικήσεως καὶ κανόνος καὶ πίστεως" — Hær. 70, 10). Constitutiones autem dogmatibus Arianis refertæ sunt, quam ipsam ob rem a concilio quinisexto damnatæ sunt. Confitendum tamen est, ipsum concilium affirmasse, hæc dogmata fraude Constitutionibus ab Arianis esse inserta; id quod de aliis illis diversitatibus non valet.

3) Krabbe, loco nuper l.

imprimisque episcoporum gravitate, utpote qui verum ecclesiæ fundamentum habeantur, tum singula omnia tempus Cypriani adumbrent; librum autem octavum, quum integrum Liturgiæ systema multosque accuratiores constitutionum, in prioribus libris obviarum, explicationes contineat, serius, quum externa ecclesiæ conditio sub imperatoribus Christianis firmior jam evasisset, esse additum et cum Chrysostomi tempore plane convenire. Dogmata autem Ariana, quæ in prioribus libris inveniuntur, eos ad Cypriani tempus non pertinere minime probare possunt, quum, hæcce magnâ ex parte serius inserta esse, ex commemorato concilii quinisexti effato verisimile fiat, et præterea necesse sit, multas Arianas ideas ante Arium exstitisse. Hac in re igitur auctoritate illius nisus, septem priorum librorum de baptismo effata jam afferam[1].

Quam symbolicam notionis baptismi adumbrationem ad negativam et positivam ejus vim significandam Paulus usurpavit[2], eam Constitutionum

---

[1]) Canones, ut dicuntur, apostolici perpauca modo continent decreta de hominibus baptizandis et modo baptizandi, quæ in notis afferam.

[2]) Rom. 6, 3 sqq. Coll. 2, 11. "Indem Paulus die Beziehung auf Christus den Gestorbenen und Christus den Auferstandenen darin (ↄ: in der zwiefachen Handlung des Untertauchens und des Hervortauchens) fand, die negative und positive Richtung des chrl. Lebens — in der Nachfolge Christi absterben allem Ungöttlichen und in der Gemeinschaft mit ihm auferstehen zu einem neuen göttlichen Leben — so gebrauchte er hier nur das zufällige in der überlieferten Form der Taufe Gegebene, um die

quoque auctor sæpius adhibuit, quum, "ἐστὶ," inquit, "τὸ μὲν βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ Ἰησοῦ διδόμενον, ... ἡ κατάδυσις τὸ συναποθανεῖν, ἡ ἀνάδυσις τὸ συναναστῆναι[1] — ἵνα σύμφυτος γενόμενος (ɔ: ὁ βαπτιζόμενος) τῇ ὁμοιότητι τοῦ θανάτου τοῦ Χριστοῦ, ἐπ' ἐλπίδι τῆς ἐνδόξου κοινωνίας, νεκρωθῇ μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ, ζήσῃ δὲ τῷ θεῷ κατά τε νοῦν καὶ λόγον καὶ πρᾶξιν, καὶ ἐν τῇ βίβλῳ τῶν ζώντων συναριθμηθῇ."[2] Ceteris quoque baptismatis cæremoniis, imprimis unctioni, quæ ante baptisma fiebat, magnam symbolicam vim attribuit, hanc enim proprium esse "τύπον τοῦ πνευματικοῦ βαπτίσματος"[3] ait. "τὸ ὕδωρ ἀντὶ ταφῆς," inquit, "καὶ τὸ ἔλαιον ἀντὶ πνεύματος ἁγίου, ἡ σφραγὶς ἀντὶ τοῦ σταυροῦ, τὸ μύρον βεβαίωσις ὁμολογίας"[4] — et alio loco: "χρίσεις δὲ πρῶτον ἐλαίῳ ἁγίῳ· ἔπειτα βαπ-

---

Idee und den Zweck der Taufe in dem Zusammenhang derselben mit dem ganzen Wesen des Christenthums dadurch sinnbildlich anschaulich zu machen." Neand. Gesch. der Pfl. und Leit. der chrl. K. pag. 139. Hac symbolica Pauli adumbratione ducti, nonnulli pro triplici in baptismo immersione simplicem adhibuisse videntur, id quod Canonum apostolicorum auctor valde reprehendit. "εἴ τις ἐπίσκοπος," inquit, "ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ, ἀλλὰ ἓν βάπτισμα, τὸ εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω.. οὐ γὰρ εἶπεν ὁ κύριος, εἰς θάνατόν μου βαπτίσατε, ἀλλά: πορευθέντες μαθητεύσατε κ. τ. λ." (Can. 42.)

[1]) Lib. 3, cap. 17.
[2]) Lib. 7, cap. 39.
[3]) Lib. 3, cap. 16.
[4]) Ibid. cap. 17.

τίσεις, ὕδατι, καὶ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ. ἵνα τὸ μὲν χρίσμα μετοχὴ ᾖ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τὸ δὲ ὕδωρ σύμβολον τοῦ θανάτου, τὸ δὲ μύρον σφραγὶς τῶν συνθηκῶν"[1] —; quum autem eodem loco addat: "εἰ δὲ μήτε ἔλαιον ᾖ, μήτε μύρον, ἀρκεῖ ὕδωρ καὶ πρὸς σφραγίδα καὶ πρὸς ὁμολογίαν τοῦ ἀποθανόντος, ἤτοι συναποθνήσκοντος" — manifesto declarare videtur, quum has cæremonias *symbolica modo nec magica* vi instructas cogitari, tum nullas alias plane necessarias æstimari, quam quas ipse Christus instituerit. Eundem, quum ἔλαιον illud participationis Spiritus S. symbolum esse dicat, *manus impositioni*, ab omnibus aliis tantopere celebratæ, nullam vim tribuisse crederes; nihilo secius autem hanc demum esse, quæ, cum unctione posteriore et invocatione sacerdotis conjuncta, baptismum perficiat et spirituali vi instruat, disertis verbis affirmat, licet, quomodo hoc efficiat, minime explicet. Episcopo enim imperat, ut, manum baptizato imponens eumque unguens, his verbis Deum invocet: "Σὺ καὶ νῦν τοῦτο τὸ μύρον δὸς ἐνεργὲς γενέσθαι ἐπὶ τῷ βαπτιζομένῳ, ὥστε βεβαίαν καὶ πάγιον ἐν αὐτῷ τὴν εὐωδίαν μεῖναι τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ συναποθανόντα αὐτὸν συναναστῆναι καὶ συζῆσαι αὐτῷ" — quibus dictis, addit: "ἑκάστου γὰρ ἡ δύναμις τῆς χειροθεσίας ἐστὶν αὕτη· ἐὰν γὰρ μὴ εἰς ἕκαστον τούτων ἐπίκλησις γένηται παρὰ τοῦ εὐσεβοῦς ἱερέως τοιαύτη τις, εἰς ὕδωρ μόνον καταβαίνει ὁ βαπτιζόμενος, ὡς Ἰουδαῖοι, καὶ ἀποτίθεται μόνον τὸν ῥύπον τοῦ σώματος, οὐ τὸν ῥύπον τῆς

---

[1]) Lib. 7, cap. 22.

ψυχῆς."[1] Unde apparet, quod non minorem vim, quam omnes alii, confirmationis ritui tribuit, et quod manus saltem impositionem absolute necessariam duxit.

Baptismum igitur, quum morti ac resurrectioni Jesu Christi ita homines initiet, eos sanctissime obstringere declarat, ut omne peccatum aspernentur, et solam Dei voluntatem, quo genuini ejus filii et hæredes, cohæredes autem Christi fiant, in omnibus rebus sequantur. "ὁ δὲ βαπτιζόμενος," inquit, "ὑπαρχέτω ἀλλότριος ἀσεβείας πάσης, ἀνενέργητος πρὸς ἁμαρτίαν, φίλος θεοῦ, ἐχθρὸς διαβόλου, κληρονόμος θεοῦ πατρὸς, συγκληρονόμος δὲ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ἀποτεταγμένος τῷ Σατανᾷ καὶ τοῖς δαίμοσι καὶ ταῖς ἀπάταις αὐτοῦ, ἁγνὸς, καθαρὸς, ὅσιος, θεοφιλὴς, υἱὸς τοῦ θεοῦ."[2] Qui autem "κατ' ἀλήθειαν", i. e. perfecte, baptizatus sit, quum perfecto baptismo Spiritum S. acceperit, magna hæcce officia re vera præstare posse affirmat; unde eum perfectum, regenerantem baptismum ab imperfecto bene distinxisse, et hunc, per se spectatum, symbolum modo regenerationis habuisse videmus[3].

---

1) Lib. 7, cap. 41. — Quo eodem ritu ad spirituale quoque sacerdotium accipiendum baptizati initiantur. "ἐν τῇ χειροθεσίᾳ," inquit, "τὴν κεφαλὴν ... χρίσει ὁ ἐπίσκοπος, ὃν τρόπον οἱ ἱερεῖς καὶ οἱ βασιλεῖς τὸ πρότερον ἐχρίοντο· οὐχ ὅτι καὶ οἱ νῦν βαπτιζόμενοι ἱερεῖς χειροτονοῦνται, ἀλλὰ ὡς ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ Χριστιανοὶ, βασίλειον ἱεράτευμα καὶ ἔθνος ἅγιον, ἐκκλησία θεοῦ." Lib. 3, cap. 15.

2) Ibid. cap. 18.

3) Eadem de causa non defectum baptismi, sed solum ejus contemtum damnationem afferre sensit. "ὁ ἐκ κατα-

"πᾶς βεβαπτισμένος κατ' ἀλήθειαν," inquit, "τοῦ μὲν διαβολικοῦ πνεύματος κεχώρισται, τοῦ δὲ ἁγίου πνεύματος ἐντὸς καθέστηκε· καὶ ἀγαθοεργοῦντι μὲν παραμένει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πληροῦν αὐτὸν σοφίας καὶ συνέσεως, καὶ τὸ πονηρὸν πνεῦμα οὐκ ἐᾷ αὐτῷ πλησιάσαι, ἐπιτηροῦν αὐτοῦ τὰς ἐφόδους."[1] Ut vero de perfecto baptismo accipiendo certus sit catechumenus, jam, antequam baptizatus fuerit, a peccato se avertat, necesse esse contendit; "δεῖ γὰρ αὐτὸν πρῶτον μὲν ἀποσχέσθαι τῶν ἐναντίων, καὶ τότε ἐντὸς γενέσθαι τῶν μυστηρίων, προκαθάραντα ἑαυτοῦ τὴν καρδίαν πάσης κακοηθείας, σπίλου τε καὶ ῥυτίδος, καὶ τότε τῶν ἁγίων μεταλαχεῖν."[2] Quod ut fiat, ante baptismum catechumenum diligentissime edocendum esse, quamobrem Christus quoque apostolis, ut prius omnes gentes edocerent, deinde baptizarent, præciperet[3]; minime tamen in sola humana eruditione subsistendum, Deo autem preces fundendas, ut illum illuminet, et voluntatem suam ei manifestet[4]. — Altera vero ex parte idem, quod hic eruditioni Christianæ una cum spirituali Dei efficitate adscripsit, prava superstitione imbutus, in magica prioris unctionis vi positum putat; qua de causa sacerdotis esse ait,

---

φρονήσεως," inquit, "μὴ βουλόμενος βαπτισθῆναι, ὡς ἄπιστος κατακριθήσεται, καὶ ὀνειδισθήσεται ὡς ἀχάριστος καὶ ἀγνώμων." Lib. 6, cap. 15.

[1]) Ibid. cap. 27.

[2]) Lib. 7, cap. 40.

[3]) Ibid.

[4]) Ibid. capp. 39 et 43.

Deum invocare, "ἵνα ἁγιάσῃ τὸ ἔλαιον τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, καὶ δώσῃ χάριν πνευματικὴν, ἄφεσίν τε ἁμαρτιῶν καὶ προπαρασκευὴν ὁμολογίας βαπτίσματος, ὥστε τὸν χριόμενον, ἀπολυθέντα πάσης ἀσεβείας, ἄξιον γενέσθαι τῆς μυήσεως κατ᾽ ἐντολὴν τοῦ μονογενοῦς."[1] Ipsi quoque baptismatis aquæ magicam vim consecratione tribui putat, quam ob causam, "αὐτὸν (ɔ: Θεὸν) οὖν καὶ νῦν παρακαλείτω," inquit, "ὁ ἱερεὺς πρὸς τῷ βαπτίσματι, καὶ λεγέτω, ὅτι κάτιδε ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἁγίασον τὸ ὕδωρ τοῦτο· δὸς δὲ χάριν καὶ δύναμιν ὥστε τὸν βαπτιζόμενον, κατ᾽ ἐντολὴν τοῦ Χριστοῦ σου, αὐτῷ συσταυρωθῆναι καὶ συναποθανεῖν καὶ συνταφῆναι καὶ συναναστῆναι εἰς υἱοθεσίαν τὴν ἐν αὐτῷ, τῷ νεκρωθῆναι μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῆσαι δὲ τῇ δικαιοσύνῃ."[2] — Porro eodem modo ac Cyprianus, ipsos episcopos esse "τοὺς δι᾽ ὕδατος ... ἀναγεννήσαντας, τοὺς τῷ ἁγίῳ πνεύματι πληρώσαντας ... τοὺς τῶν ἁμαρτιῶν λύσαντας ... καὶ τῆς ἐπαγγελίας τοῦ θεοῦ κοινωνοὺς καὶ συγκληρονόμους θεμένους —,"[3] et efficacitatem baptismi de subjectiva baptizatoris conditione pendere affirmat. Itaque, "ὅτι οὔτε ἀναβαπτίζειν χρὴ," ait, "οὔτε μὴν παραδέχεσθαι τὸ παρὰ τῶν ἀσεβῶν βάπτισμα δοθὲν, ὃ οὐκ ἔστι βάπτισμα, ἀλλὰ μόλυσμα."[4] Ceterum ordinationem solam esse, quæ hominem idoneum faciat ad baptisma rite administrandum; "διὰ γὰρ,"

---

[1]) Lib. 7, cap. 42.

[2]) Ibid. cap. 43. *Impositioni manus magicam vim eum tribuisse* jam supra, pag. 183, vidimus.

[3]) Lib. 2, cap. 33, cfr. cap. 32.

[4]) Lib. 6, cap. 15.

inquit, "τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ ἐπισκόπου δίδοται ἡ τοιαύτη ἀξία· ὁ δὲ μὴ ἐγχειρισθεὶς ταύτην, ἀλλ' ἁρπάσας αὐτὴν ἑαυτῷ, τὴν τιμωρίαν τοῦ Ὀζία ὑποστήσεται"[1] — unde sequitur, ut ex ejus opinione nec mulieribus, nec laicis, neve sacerdotibus quidem minoris ordinis baptizare liceat[2]; quin etiam hæreticorum baptisma ea de causa damnat, quod hæretici *sacerdotes non sint*. "οὔτε μήν," addit, "οἱ βαπτισθέντες ὑπ' αὐτῶν μεμύηνται, ἀλλὰ μεμολυσμένοι ὑπάρχουσιν, οὐκ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαμβάνοντες, ἀλλὰ δεσμὸν ἀσεβείας."[3]

Quod ad pædobaptismum attinet, eum probat[4], eos vero, qui, prava superstitione imbuti, baptismum usque ad supremum diem differant, optime his verbis reprehendit: "ὁ δὲ λέγων, ὅτι, ὅταν τελευτῶ, βαπτίζομαι, ἵνα μὴ ἁμαρτήσω καὶ ῥυπανῶ τὸ βάπτισμα, οὗτος ἄγνοιαν ἔχει θεοῦ, καὶ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἐπιλήσμων τυγχάνει."[5]

---

[1]) Lib. 3, cap. 10.

[2]) Ibid. capp. 9-11.

[3]) Lib. 6, cap. 15. Cfr. canon. 38: "ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον ἢ διάκονον, αἱρετικῶν δεξαμένους βάπτισμα ἢ θυσίαν, καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν· τίς γὰρ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς Βελίαρ; ἢ τίς μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου." Cfr. porro can. 39.

[4]) "βαπτίζετε δὲ ὑμῶν καὶ τὰ νήπια, καὶ ἐκτρέφετε αὐτὰ ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ θεοῦ — aff. Mth. 19, 14. —" Lib. 6, cap. 15.

[5]) Ibid. — Quod tandem ad martyrium attinet, non solum nomine baptismi id ornat, sed majoris etiam dignitatis, quam ipsum baptismum, esse contendit. "τὸ γὰρ πάθος τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ," inquit, "ἔσται αὐτῷ (ɔ: τῷ κατηχουμένῳ) γνησιώτερον βάπτισμα· ὅτι αὐτὸς μὲν πείρᾳ συναποθνήσκει τῷ κυρίῳ, οἱ δὲ λοιποὶ τύπῳ." Lib. 5, cap. 6.

Conspectus.

Quum jam explicare conati simus, quomodo singuli ecclesiæ doctores antiquissimo tempore dogma baptismi exposuerint, restat modo, ut summas dictorum brevissime colligamus, brevemque comparationem inter patres commemoratos instituamus, quo clarius appareat, qua ratione illud dogma primis sæculis exultum fuerit, quæque fuerint hujus rationis causæ.

In prolegomenis jam diximus, ipsas divinas res cum externis earum symbolis et formis plerosque patres confudisse, quam sententiam singulorum doctrinas explicando experientiâ probatam invenimus; *quatuor* enim hasce *confusiones*, regenerationis cum baptismo, communicationis Spiritus S. cum impositione manus, ecclesiæ invisibilis cum visibili, spiritualis Christiani sacerdotii cum externo Judaico sacerdotio, sensim exstitisse vidimus. Harum ista regenerationis cum baptismo confusio antiquissima erat et omnibus pæne communis; nec difficile est ad explicandum, quænam fuerit causa ejus; quum enim patrum plerique non prius, ni fallor, baptismum susciperent, quam, vera poenitentia et fide ducti, apud Christum solum salutem quærendam esse agnoscerent: facile fieri potuit, ut, perfecte baptizati, spiritualem regenerationem, cum baptismo ipsorum intime conjunctam, ab ipso lavacro non dignoscerent, contra vero, quum hocce demum regenerationis symbolo de salute sua firmiter ipsis persuasum esset, ipsius regenerationis

nomine id ornarent, et verba regenerari et baptizari eandem plane vim habere sentirent; quæ conjectura Cypriani exemplo firmatur[1]. Huc etiam accedit, quod, quum primum animi eorum ad interni cum externo confusionem inclinarunt, multa sacræ scripturæ effata, quæ de regeneratione vel perfecta baptismi idea agunt, facillime ab iis prave intelligi potuerunt, ut si externum baptisma respicerent; sicut re vera Justinum, Recognitionum auctorem, Tertullianum, Cyprianum gravissima illa Christi verba, in evangelio Joh. cap. 3, verss. 3. 5. allata, de baptismate explicasse vidimus. — Quum igitur regenerationem cum baptismo confunderent, eoque ipso totam illius vim omnesque ejus effectus huic adscriberent, superstitiosas de magica hujus vi ideas amplexarentur, necesse erat; altera autem ex parte iidem, vera poenitentia et fide impleti, harum necessitatem ad salutem agnoscerent, æque necesse erat; quas ob causas tantam contentionem inter veram Christianam conscientiam, quæ poenitentiam fidemque salutis effectrices esse sentiret, et pravam rationem, quæ regenerationis partes baptismo tribueret, apud eos invenimus.

Hanc contentionem plerosque ita solvisse vidimus, ut baptisma quidem ad regenerationem et salutem *absolute necessarium* esse, sine fide autem *non sufficere* sentirent, et *perfectum* igitur baptismum *unicam* regenerationis et salutis viam æstimarent. Tales fuerunt Hermas, Justinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Clemens Alexan-

---

[1]) Pagg. 109-112.

drinus[1]. Nihilo vero secius eos inter se valde distulisse vidimus, quum *alii* ipsam regenerandi vim baptismo tribuerint, vera autem regenerationis elementa solummodo necessarias conditiones æstimarint (ɔ: Justinus, Cyprianus); *alii* (Hermas, Irenæus) poenitentiam et fidem veras spiritualis regenerationis effectrices, sed baptisma tamen absolute necessarium duxerint; Clemens tandem Alexandrinus et Tertullianus, utrum gravius sit baptisma, an fides, plane incertum reliquerint. Hi omnes tamen quasi medium tenuerunt; ex Recognitionibus enim experti sumus, fuisse quoque, qui, magicis opinionibus magis imbuti et constantiam superstitiosi systematis hac in re diligentius servantes, subjectivam hominis baptizandi conditionem non impedire posse, quo minus lavacrum regenerandi vim exserat, senserint, et baptisma rite administratum ad salutem obtinendam *tum absolute necessarium esse, tum sufficere* putarint, si modo post baptisma acceptum, ne gratiam jam comparatam rursus amittat, veram Christianam vitam baptizatus degat[2]; unde nobis apparuit, hos quoque, *solis* operibus operatis sine poenitentia et fide homines salutem consequi posse, quatenus per pravam istam doctrinam liceret, negasse. Alios tandem fuisse, summopere laudandos, qui ordinarium quidem regenerationis medium perfectum baptismum æstimarint,

---

[1]) Barnabas quoque his annumerandus est, licet eorum infimus videatur.

[2]) Tertulliani quoque animum ad hanc sententiam inclinasse vidimus pag. 72-73.

simul autem Spiritum S. nulli externo operi necessario obstrictum esse, sed sine baptismo etiam regenerare posse intellexerint, ut baptisma per se ad salutem consequendam *nec sufficere nec absolute necessarium esse* crediderint, ex doctrina Origenis et auctoris libri illius de Rebaptismate vidimus[1]; non tamen negandum est, quin hi quoque viri mysticam et miraculosam vim baptismati tribuerint.

Quo clarius appareat, quod jure nostro in tres hasce classes patres commemoratos diviserimus, singulorum sententias de ratione baptismi ad regenerationem breviter repetemus. Barnabas sive Pseudobarnabas utrumque plane confudit, et baptismum ex opere quasi operato regenerare dixit; idem vero fidem necessariam statuisse videtur, ita tamen, ut hujus ad regenerationis lavacrum rationem non accuratius explicaverit[2]. Eodem fere tempore Hermas perfectum ab imperfecto baptismo optime distinxit, et fidem solam baptismum perficere hominemque regenerare docuit; lavacrum autem ob singularem magicam vim ad salutem nihilominus absolute necessarium, et piissimum etiam hominem, si non baptizatus sit, æternæ morti obnoxium esse affirmavit[3]. Deinde Justinus prodiit, qui non quidem tam clare, quam Hermas, nos fide sola regenerari et perfici intellexit, attamen fidem

---

[1]) De Constitutionibus dubitari potest, utrum ad hanc, an ad primam classem annumerandæ sint.

[2]) Pagg. 14-15.

[3]) Pag. 21.

necessariam regenerationis, baptismo effectæ, conditionem posuit, totamque nostram renovationem et salutem ad *perfectum* baptismum, absolute necessarium, retulit, nec ut ille felicitatem, a perfectione sejunctam, soli baptismati attribuit[1]. Tum Recognitionum auctor (ut Theophilum, cujus sententia incerta sit, omittamus) ad fastigium superstitiosæ rationis, quatenus homini justo eam amplecti licuit, evectus est, dum ex opere operato baptismum regenerare docuit, ita tamen, ut efficacem fidem *post baptismum* necessariam duxerit[2]. Irenæus vero Hermæ se rursus magis adjunxit, et *fidem* quidem Spiritus S. communicationis, ideoque animi humani regenerationis, *aquam* autem corporalis renovationis medium esse docuit[3]. Apud Tertullianum miram vacillationem et diversissimarum rationum confusionem invenimus; quum *modo* baptismum absque omni conditione ex opere operato regenerare[4], *modo* fidem necessariam conditionem[5], *modo* ipsam internæ renovationis (lavacri cordis) effectricem[6] esse docuerit. Quum vero illam doctrinam invitus pæne concesserit, et ad amissionem baptismi respiciendo restrinxerit[7], hanc conditione baptismatis, absolute necessarii, adstrinxerit[8], ad

1) Pagg. 26-30.
2) Pagg. 36-37.
3) Pagg. 43-44.
4) Pag. 73.
5) Pag. 71 sqq.
6) Pagg. 74-76.
7) Pag. 73.
8) Pagg. 85-86.

eorum numerum, qui fidem et baptisma æque necessaria æstimarunt, perfectumque baptismum unicam salutis viam duxerunt, re vera, ni fallor, pertinuit. Martyrio quidem eosdem effectus ac baptismati tribuit, idque "lavacrum non acceptum repræsentare" dixit[1], solummodo vero quia id quoque verum baptisma æstimavit, et aquæ igitur atque sanguinis baptismata modo diversas unius ejusdemque rei formas habuit[2]; quam ejus sententiam postea omnes patres, in libello nostro commemorati, amplexati sunt. Secundam illam confusionem, communicationis Spiritus S. cum impositione manus, apud hunc primum invenimus[3], nec, mea opinione, dubitari potest, quin causa ejus, præter istam propensionem ad internas divinas res cum externis earum symbolis confundendas[4], prava fuerit explicatio locorum N. T., de manus impositione agentium, inprimis capitis VIII in Act. App. — Quum regeneratio, per se individua, ita in duas partes, re vera sejunctas, diffinderetur, ipsa regenerationis notio depravaretur necesse erat; quam tamen depravationem magis perspicuam apud Cyprianum, quam apud Tertullianum, conspeximus; quum ille enim, iisdem confusionibus obnoxius,

---

[1]) Pag. 81.

[2]) Ibid.

[3]) Pag. 67.

[4]) Hac propensione ductus, ad reliquas etiam regenerationis partes, sola cogitatione distinguendas, cum singulis earum in baptismate symbolis confundendas, animus ejus inclinavit. Pagg. 69-70.

non ut hicce docuerit, baptisma et manus impositionem uno eodemque tempore, arctissime invicem conjuncta, suscipi debere, sed manus impositionem solis episcopis reservarit, factum est, ut, hominem, baptismo regeneratum, Spiritus S. adhuc expertem esse, et regenerationem igitur sine Spiritus communicatione fieri posse, docere coactus fuerit[1]. Ceterum Cyprianus constantior, quam Tertullianus, ipsas regenerandi vires baptismati adscripsit, et fidem solummodo necessariam conditionem æstimavit[2]. Quod ad martyrium attinet, nil de necessitate baptismatis eo detraxit, quod illud quoque regenerare docuit, nam eodem modo, ac Tertullianus, aliam unius ejusdemque baptismi formam, celsioris tamen naturæ, id æstimavit[3]; nec exinde, quod homines, in ecclesiam sine legitimo baptismo receptos, ad divinam misericordiam delegavit[4], concludi potest, eum baptisma non omnino necessarium duxisse; cuique enim in promtu est eos, de quorum salute dubitat, ad divinam misericordiam delegare. — Superstitiones vero, quibus hos viros, tantopere celebratos, vinctos vidimus, ignotus auctor libelli illius de Rebaptismate magna ex parte aspernatus est, quippe qui veram regenerationem in sola Spiritus S. communicatione, poenitentia et fide effecta, positam, et lavacrum, martyrium, manus impositionem diversas solummodo

---

1) Pagg. 113-115.
2) Pagg. 119-123.
3) Pag. 129, ann.
4) Pag. 173.

formas hujus communicationis æstimarit, quæ etiam sine ulla externa forma sola interna Spiritus efficacitate effici possit[1]; unde sequitur, ut hasce formas ordinaria quidem, non autem plane necessaria salutis media existimarit. Ceteri quoque Cypriani adversarii fidem veram salutis effectricem habuisse videntur[2]. — Quod si ad ecclesiam orientalem nos convertimus, Clementem Alexandrinum miro modo vacillasse videmus, quippe quum aliis locis regenerationem cum baptismo plane confuderit[3], aliis fidem salutis effectricem dixerit[4]. Hæc tamen diversa effata ita conjunxit, ut se nescire affirmaverit, utrum in perfecto baptismo gravius sit externum baptisma, an fides[5]. Deinde Origenes, ad altiorem cognitionis gradum evectus, puram regenerationis ideam percepisse videtur, ut homines etiam sine baptismo regenerari posse intellexerit[6], et baptismum quidem exhibitivum regenerationis symbolum æstimarit, in fide vero solà utrum salutare sit, necne, posuerit[7]. Non tamen negandum, quin sacramentalem actum *ad plenam regenerationis perfectionem* necessarium pæne duxisse videatur[8]. Quod ad martyrium attinet, eum Tertulliani atque Cypriani sententiam amplexatum esse vidi-

1) Pag. 150.
2) Pag. 162.
3) Pagg. 47-50.
4) Pagg. 55-58.
5) Pag. 54.
6) Pag. 96.
7) Pagg. 92-93. 95-103.
8) Pagg. 106-107.

mus, non autem quod ad impositionem manus; licet enim tempore apostolorum manus impositionem Spiritum communicasse concesserit, magicam hanc vim ultra illud tempus extendisse minime videtur[1]. Constitutionum tandem auctor dubitasse videtur, utrum modo symbolica, an magica vis ritibus baptismatis tribuenda sit; aliis enim locis animus ejus ad magicas superstitiones valde inclinavit, quin etiam in plures partes, quam Cyprianus, regenerationem diffidisse[2], et manus impositioni, licet cum Spiritus communicatione eam non confuderit, summam tamen magicam vim attribuisse[3] videtur; aliis vero locis solummodo symbolicam vim baptismo adscripsit[4], et modo contemtum nec defectum ejus condemnationem afferre adumbravit[5]; ut difficile sit dictu, cuinam classi annumerandus sit.

Quod ad pædobaptismum attinet, valde mirandum est, quod omnes patres, qui ejus mentionem fecerunt, Constitutionum auctore fortasse excepto[6], quamquam in doctrina de baptismo in universum haud parum inter se dissenserunt, de magica tamen hujus vi plane ejusdem sententiæ fuerunt, et

---

1) Pag. 94.
2) Pagg. 185 et 186.
3) Pag. 183.
4) Pagg. 182-183.
5) Pag. 184.
6) Nam Tertullianus, licet pædobaptismi usum rejiciat, eum tamen regenerare putat. (Pag. 83.) Ceterum præter nominatos modo Irenæum, Cyprianum, Originem eum commemorasse vidimus.

eam baptismi ideam, quam perfectum adultorum baptismum spectando sibi formarunt, absque dubitatione ad pædobaptismum transtulerunt. Qua ex re imprimis apparet, quam valde ad magicas sententias animi eorum inclinarint.

Quum igitur perfectum baptismum unicam regenerationis viam plerique, ut vidimus, habuerint, et hanc ergo internam hominis commutationem sensualibus quoque rebus procreari putarint: non mirandum, quod, ipsam regenerationem non solum spiritualem sed sensualem quoque esse, nec modo animum hominis, sed corpus etiam renovare et divinæ communionis particeps facere, complures eorum, inprimis Irenæus[1], Tertullianus[2], Clemens Alexandrinus[3], si nempe in eclogis prophetarum ipsius sententias communicatas habemus, crediderunt[4]. Quod vero ad spirituales effectus, regeneranti baptismo tributos, attinet, regenerationem hominis duobus hisce rebus constare, quod altera ex parte vitiositate purgetur homo, remissionemque delictorum accipiat, alterâ novo divino spiritu animetur et divinæ communionis particeps fiat, omnes plus minusve recte intellexisse vidimus, eamque ob causam et negativos et potitivos hosce

---

1) Pagg. 43-44.

2) Pag. 77.

3) Pagg. 59-61.

4) Cfr. Neand. K. G. vol. I, pag. 720: "Was .. die Taufe betrifft, so war die am meisten vorherrschende Idee — die Idee von einer mit der Taufe verbundenen *geistig sinnlichen* Gemeinschaft mit dem ganzen Christus zum Heil der ganzen geistig sinnlichen Menschennatur."

effectus perfecto baptismo adscripsisse; nihilo vero secius in iis describendis aliquantum a se invicem distulissē, quippe quum Barnabas, Justinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Constitutionum auctor et negativos et positivos effectus pari diligentia depinxerint; Recognitionum auctor e contrario, Tertullianus, Cyprianus imprimis negativos laudariut, et hic quidem necessitate quadam coactus, quum impositionem manus cum communicatione Spiritus confuderit, eamque a baptismo sejunxerit; Hermas tandem, Irenæus, auctor libri de Rebaptismate imprimis positivos, ita tamen, ut alteram partem haud neglexerint.

Ceterum purgationem perfecti baptismi plerumque ita descripserunt, ut eà totam peccandi vim in animo hominis fractam dixerint, licet summo jure eam non omnino eradicatam cogitarint[1]; unde sequitur, ut purgationem ad totam hominis vitam pertinere senserint, quum effectus talis τῆς ἁμαρτίας destructionis in tota vita necessario appareat. Eo magis autem mirandum videtur, quod, ut vidimus, remissionem, regenerationis lavacro obtentam, ad sola ànte baptismum commissa peccata

---

[1]) Cyprianus imprimis ad peccatum originale, "contagium mortis antiquæ", (pag. 117 sqq.) et Origenes imprimis ad pollutionem, quam peccatis, in præexistentia commissis, et corporis assumtione homines contraxisse dixit (pag. 97), purgationem retulerunt. Qui tandem Non-Christianos a *diabolis* obsessos teneri putarunt, hos baptismi purgatione expelli docuerunt, Recognitionum nimirum auctor, Clemens Alex. in eclogis, Cyprianus, Constitutionum auctor.

pertinere putarunt. Quum enim in homine regenerato *justificatio* ejus eodem modo continuam novam ad Deum rationem, conditionem videlicet filialem, efficiat, quo *conversio* ejus continuam novam vitam, semper magis sanctificandam, formet: *sicut nulla nova* hujus hominis *conversio* ad vitiositatem, e vetere vita adhuc in eo residuam, semper magis eradicandam et novam ejus vitam semper perfectius excolendam opus sit, sed Spiritus S., *jam* ei innatus, hæc efficere valeat; *ita nec novam remissionem* ad peccata residuæ illius, sed magis magisque evanescentis, vitiositatis condonanda opus esse, hæc autem eo ipso condonari, quod *jam*, secundum intimam suam conscientiam voluntatisque rationem, Deo gratus et communionis ejus particeps homo sit[1], patres intelligere oportuit. Quum vero hoc non intelligerent, et doctrinam de continua justificationis vi securitati in peccando favere fortasse putarent — id quod re vera quoque iis timendum fuisse videtur, quum ob interni cum externo confusionem justificationem operi externo, baptismati, tam arcte obstringerent —: ad sola ante baptismum commissa peccata, ut jam dixi, remissionem pertinere docuerunt.[1] Qua ex doctrina pravissimum istud dogma *de operum bonorum vi ad salutem comparandam* progerminavit; quum enim quærerent patres, quanam vià homo

---

[1]) Hanc doctrinam apud Clementem Alexandrinum (pag. 62), Origenem (pag. 100), Tertullianum (pag. 78), Cyprianum (pag. 117-118), ejus vero vestigia apud ceteros quoque patres invenimus.

infirmus remissionem eorum delictorum, quæ post baptismum committeret, sibi compararet, summam vero poenitentiæ et fidei vim non recte intelligerent, contra autem semper externa auxilia circumspicerent, respondere in promtu iis erat, bona opera hæcce auxilia esse, quibus, quasi redintegrato baptismo, gratia divina pararetur. Crassissime hanc sententiam proposuit Recognitionum auctor[1]; Tertullianus quidem ipsius internæ poenitentiæ vim magis ursit[2]; sed Cyprianum[3], quin etiam Origenem[4] ad pravam illam doctrinam rursus revertisse vidimus.

Quum miras igitur atque magicas vires in baptismo inesse putarent, multi eorum, haud eo contenti, quod hoc nude affirmassent, simul, *quomodo* fieri posset, ut has vires possideret baptismus, probare conarentur, necesse erat; qua de causa eos permiras sane de elementorum baptismi natura doctrinas enuntiasse vidimus.

Hermas mysticam virtutis divinæ cum ipsa aqua conjunctionem et miram formulæ, in baptismate adhibitæ, auctoritatem statuit, minime vero hanc sententiam accuratius explicavit[5]; Recognitionum vero auctor non solum summam aquæ dignitatem exinde apparere dixit, quod "prima creata sit", sed cognationem etiam aquæ cum Spiritu S., hujus

---

1) Pagg. 37-38.
2) Pagg. 78-79.
3) Pag. 118.
4) Pagg. 100-101.
5) Pag. 21.

super aquam volatu (Gen. 1, 3) præparatam, ipso vero baptismatis actu perfectam, finxit[1]. Hanc doctrinam diligentissime excoluit Tertullianus[2]; primum enim originalem aquæ dignitatem summis laudibus extulit[3]; deinde ex illo Geneseos effato, Spiritum S., quum super aquam volaret, ei sanctitatem et sanctificandi vim impertiisse, demonstrare conatus est[4]; denique Spiritus cum aqua communicationem in baptismo demum, "invocato Deo", perfici docuit[5]. Sed hujus perfectæ communicationis duos gradus, pravà istà de manus impositione sententià ductus, statuit, in baptismo sanctum modo angelum descensionem Spiritus præparare, manus vero impositionem eum re vera de coelo deducere affirmans[6]. Aliam viam Cyprianus ingressus est; quum enim in sola *visibili ecclesia* Spiritum inesse crediderit, et sacerdotes veros mediatores inter Deum hominesque æstimarit, Spiritum *ordinatione ex ecclesia in sacerdotem*, si nimirum sacerdos subjectivas ejus accipiendi conditiones habeat, *magicâ consecratione ex sacerdote in baptismi aquam, ex hac tandem in bap-*

---

1) Pag. 38.

2) Irenæus mysticam quidem Spiritus cum aqua conjunctionem posuit, et ita quidem, ut aquam corpus, Spiritum animum regenerare dixerit; sed modum conjunctionis non explicavit.

3) Pag. 66.

4) Ibid.

5) Pag. 67.

6) Ibid. sqq.

tizatum, si hic quoque subjectivas ejus accipiendi conditiones habeat, transire docuit[1]. Apud eum igitur superstitiosas sententias de magica baptismi natura et modo, quo hæc efficiatur, ad summum fastigium evectas vidimus, idque ob duas istas confusiones, invisibilis ecclesiæ cum visibili et spiritualis Christiani sacerdotii cum externo Judaico, quæ Cypriani demum tempore summam vim in conditionibus perfecti et rati baptismi constituendis obtinuerunt, licet *vestigia* confusionis illius prioris imprimis in rejectione baptismatis hæretici apud Irenæum, Tertullianum, Clementem Alexandrinum prius jam invenerimus. Jam vero in libro de Rebaptismate reactionem veræ Christianæ conscientiæ contra hanc superstitionum molem vidimus, quum auctor hujus libri una cum Stephano ejusque sectatoribus internam veram regenerationem magis urserit; non tamen negandum, quin externis quoque baptismi elementis, imprimis invocationi trinitatis aut solius Christi nominis magicam vim, non accuratius explicatam, assignasse videantur.

Quod ad orientalem ecclesiam attinet, Clemens Alexandrinus in iis scriptis, quæ omnium judicio genuina æstimantur, mysticam baptismatis,

---

1) Pagg. 119-122. In hac tamen doctrina magna inconstantia ex confusione communicationis Spiritus S. cum impositione manus progerminavit, quum eodem modo, ac Tertullianus, veram Spiritus communicationem non ad ipsum baptismum sed ad illum ritum post baptismum transferre coactus fuerit.

τοῦ παιωνίου φαρμάκου, naturam statuit[1], quam non accuratius explicavit; in eclogis autem prophetarum ad doctrinam Recognitionum propius appropinquavit, magicam aquæ sanctificationem, Spiritus super aquam volatu et baptismo ipsius salvatoris effectam, ponens[2]; nec non sicut Irenæus inter externum et internum baptismi elementum, aquam coelestem et aquam terrestrem, et duplicem horum elementorum efficacitatem distinxit[3]; quo accedit, quod in epitome ista magicæ consecrationis mentio fit[4]. Origenes deinde magicam naturam formulæ baptismatis tribuisse videtur[5], sed plane apparet, ipsius regenerationis elementa multo gravioris momenti ei fuisse, quam externi baptismatis. Constitutionum vero auctor totam pæne superstitionum seriem, quam apud Cyprianum invenimus, amplexatus esse videtur, quum de subjectiva baptizatoris conditione et de ordinatione ejus vim baptismi dependere[6], et consecrationem magicam vim baptismati comparare[7] dixerit. Cypriano autem inconstantior fuit, quum aliis locis modo *symbolicam vim* nec *magicam naturam* baptismi elementis adscripsisse videatur[8].

---

1) Pagg. 53-54.
2) Pag. 58 sqq.
3) Ibid.
4) Pag. 61, ann. 1.
5) Pag. 94.
6) Pagg. 186-187.
7) Ibid.
8) Pagg. 182-183.

In universum omnes, ut sæpius jam observavimus, internas divinas res cum externis earum symbolis et formis plus minusve confuderunt; nemo igitur omnino magicas superstitiones plane aspernatus est, quæ e contrario, licet vera Christiana conscientia repugnaret, magis magisque semper excolebantur.

Corrigenda et Addenda.

Pag. 3, lin. 4 in not. personæ leg. personæ
— 5, — 24 in textu, initatione leg. initiatione
— 8, — 7 in not. annumarasse leg. annumerasse
— - — 19 — innern leg. inneren
— 9, — 12 in textu, efficacitem leg. efficacitatem
— 10, — 17 — symbólo ipsius leg. baptismo
— 12, — 14 — adde notulam: In scriptis Tatiani, Athenagoræ, Minucii Felicis nullum de baptismo effatum, memoratu dignum, inveni.
— 15, lin. 25 in textu, opione leg. opinione
— 28. Pro prima nota hanc substituas velim: His nominibus, ut supra jam adumbravi, baptismum Justinus ornat, quod μετανοίᾳ et γνώσει ad baptismum subeundum catechumenum adductum statuit, et hanc μετάνοιαν et γνῶσιν baptismo, ita perfecte suscepto, confirmari ac perfici credit.
— 33, lin. 13. Verba: illa distinctione posita — ut superflua deleas velim.
— 39, lin. 15 in textu, diluantur leg. diluantur
— 50, — 7 et 8 — baptizatum leg. baptizandum
— 51. Primæ notæ hæc addas velim: "καθ' αὐτὸν μὲν ἀσκῶν καὶ διαπονούμενος ἀπαθείαν ἄνθρωπος οὐδὲν ἀνύει· ἐὰν δὲ γένηται δῆλος ὑπερεπιθύμενος τούτου καὶ διεσπουδακώς, τῇ προσθήκῃ τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως περιγίνεται. βουλομέναις μὲν γὰρ ὁ θεὸς ταῖς ψυχαῖς συνεπιπνεῖ· εἰ δὲ ἀποσταῖεν τῆς προθυμίας, καὶ τὸ δόθεν ἐκ θεοῦ πνεῦμα συνεστάλη. τὸ μὲν γὰρ ἄκοντας σώζειν, ἐστι βιαζομένου, τὸ δὲ αἱρουμένους, χαριζομένου." τίς ὁ σωζ. πλούσιος, cp. 21.
— 61, lin. 10 in not. Ante: pag. 801, adde: ἐκλ. ἐκ τῶν προφ.
— 62, lin. 4 in textu, vera leg. veri

Pag. 65, lin. 3 in textu, post παιδαγωγοῦ adde: et regenerationis

— 70, lin. 10 — " delendum

— 77, — 14 — Post: Irenæus adde: et Clemens

— 94. Prima notula ut superflua est delenda

— 96, lin. 1 in textu, disertsi leg. disertis

— 111, — 3 in not. Doct. leg. doct.

— 120, — 19 in textu, minus, leg. minus

— 130, — 12 in not. perficere leg. proficere

— 134, — 16 — officia leg. officia

— 137, — 21 — sive leg. sive

— 144, — 3 — comedenda leg. comedendus